

V
B J
C


IOANNES DANTISCVS
EPISC. VARMIENS

IOANNIS DE CVRIIS

DANTISCI

EPISC. OLIM VARMIENS

POEMATA

ET

HYMNI

E

BIBLIOTHECA ZALVSCIANA





RECENSVIT

PROOEMIVM ADIECIT

IOANNES GOTTLOB BOEHMIVS

HISTORIOGR. SAX. HIST. PROF. LIPS

PAST. ARC




VRATISLAVIAE

APVD GE. GOTTL. HORNIVM

A. CIↃIↃCCLXIIII

1764



AD

AMPLISSIMVM

CIVITATIS DANTISCANAE

SENATVM

Recte mihi facturus ſum viſus, ILLVSTRES ET AMPLISSIMI VIRI, ſi haec Ioannis de Curiis Dantiſci, popularis Veſtri, poemata, quae multifariam adhuc diſperſa, nunc meo ſtudio vnum in corpus redacta in publicum exeunt, ad Vos mitterem, nominumque Veſtrorum ſplendore illuſtrata, omni-

bus harum elegantiarum ſtudioſis hominibus tanto magis commendarem. Quae enim complurium, inter Vos, rara ingenii doctrinaeque praeſtantia eſt, qui omnium erga bonas litteras praeclarus animus, quae humanitatis reliquarumque virtutum Veſtrarum eximia laus, facile me in ſpem hanc pergratam perque iucundam ſum paſſus adduci, fore, vt non modo hunc, qui Vobis a me conſecratur, libellum lubenter accipiendum, ſed etiam ipſam, cuius is tamquam pignus aliquod eſſet, voluntatem, erga Vos, meam beneuolentia mutua complectendam putaretis. Etſi enim huius voluntatis meae nec tenues neque obſcuras ſignificationes iam in alio maiori Opere, in Actis Pacis Oliuenſis, quorum editioni accepi Vos impenſe fauere, ad poſteritatis memoriam exſtare volui: tamen eius tanta eſt magnitudo, vt intra vnius libri velut cancellos cohiberi non poſſit, ſed in plures partes ſe diffundere geſtiat.

Nec

Nec vero me, quo minus ad haec Dantiſci carmina prooemiaturus Vos adloquerer, deterruit illius quaedam a patria voluntatis alienatio: de qua erit infra commodior diſſerendi locus. Ad quem enim magis, quam ad Vos, huius poetae carmina pertinent? quum eius ingenium in vrbe Veſtra, tamquam in vberi atque foecundo ſolo, et natum, et a teneris annis omni doctrina excultum fuit. Eſt haec vera et perpetua vrbis Veſtrae gloria, quam Vos a maioribus acceptam non modo tuemini, ſed etiam prudentia Veſtra plurimum amplificatis, quod ſemper nobis ingenia tum excellentia pariat, tum liberali et pulcra doctrina excellenter inſtituat. Nullum profecto eſt diuinae humanaeque ſapientiae genus, in quo non ciuitas Veſtra praeſtantiſſimos aliquot viros protulerit: quos partim ipſa fouit, partim aliis ciuitatibus et ſcholis commodauit. In his mea aetate quaſi quoddam lumen effulſit Io. Iacobus Maſcouius, rei publicae ac litterariae

Lipſicae quondam eximium decus, idemque meus praeceptor: cuius nomen et Vobis iucundum, et mihi ſanctum, vt hoc loco ponerem, illud me admonuit, quod is crebra laudatione, qua ſummum Dantiſci ingenium proſequebatur, me ad eius notitiam primus perduxit. Ego autem nunc mihi videor legendi adſiduitate, ac paene curioſa ſedulitate, obſeruaſſe nonnulla de illius vita, ſtudiis et moribus, quae vulgo minus cognita hic commemorare conſtitui; non quod ea Vobis incomperta eſſe putem, ſed quod Vos popularium Veſtrorum laudes ex me lubentius, quam Veſtras ipſorum, licet meritiſſimas atque candidiſſimas, de quibus aegre taceo, audietis.

Natus eſt igitur Ioannes Dantiſcus in Veſtra, vnde ſibi cognomen adſumſit, florentiſſima vrbe, anno octogeſimo quinto poſt mille et quadringentos, loco tenui, ſed tamen honeſto. Genus eius paternum ad familiam non ignobilem *von Hoefen*, hoc eſt, de Curiis, refe-

ferenti Philippo Frenkingio (in Or. de vita et moribus Io. Dantiſci,) facile credam, vtpote illi propinquitate iunćto: quamquam non ſum neſcius eſſe haud paucos, quibus non gentilitio nomine, ſed ab adſiduitate in Principum Curiis, Dantiſcus ita adpellatus eſſe videatur. Erat autem, per diuturnas ſuperioris in Pruſſia belli aduerſitates, calamitas iſtius familiae tanta, vt Ioanni, auo Dantiſci, relićtis penatibus in Dantiſcanam vrbem delato, res vere ad reſtim, hoc eſt, eo redierit, vt reſtibus faciendis vićtum quaerere cogeretur. De quo, ſinite, vt, quem modo memoraui, Frenkingii ipſa verba adſcribam. "Quumque non eſſet, „quod eſſet, inquit, forte cum comite ſuo „impubi ad illam acceſſit aream, vbi reſtiarii „ſuum exercent opificium: conſpicatus ibi li„num in faſces colligari, ſe quoque eiuſdem „artis gnarum profitetur." Ab hoc opificio quum ei deinceps vernacula lingua nomen Linodeſmonos (*Flachſbinder*) impoſitum eſſet,

id non modo ipſe tenuit, verum etiam poſteri ſic aliquamdiu in amore habuerunt, vt et Dantiſcus, iam ad altiorem locum euectus, eo vocabulo adpellare ſe publicis ingenii monimentis haud dubitaret. Nullum tamen hic aliud nomen aut magis amauit, aut crebrius vſurpauit, quam illud, quo ſe ciuitatis Veſtrae alumnum profiteretur: idque non tam Seculi more, quam quod plurimum inde ſibimet decoris et commendationis accedere intelligebat.

Puer ingenio iam eminens, quum ad operas patris (is potum ex hordeo coquebat,) deprimi ſe nullo modo pateretur, in ludum publicum ad litteras addiſcendas eſt miſſus. Ex quo tempore quaſi Muſarum ſinu receptus, liberalium artium ſtudiis adeo animum induſtriamque omnem adplicuit, vt, quamquam vixdum ex ephebis egreſſus in aulam iam atque in caſtra abſtraheretur, tamen illa deinceps in Romano Gymnaſio Cracouienſique Academia multo etiam diligentius tractaret, magiſ-

magiſque ac magis excoleret. Et Cracouiae quidem vt in aliis artibus alios excellentes magiſtros, ſic in poetica, ad quam naturae ingeniique impulſu ferebatur, praeceptorem ſectatus eſt Paullum Croſnenſem, praeclarum virum; de cuius promeritis laudibus quoſdam illius verſiculos loco ſuo reddidi. Per ea tempora Dantiſcus ingenii praeſtantia exercitationiſque adſiduitate celeriter id adſequutus eſt, vt carmine pangendo, cum aequalibus, poſſet de laureola contendere. Non inuoluam ſilentio vnum inſigne iſtiuſmodi contentionis ab Ioachimo Camerario (in Vita Helii Eobani Heſſi,) traditum exemplum: quod, neſcio quomodo, praeterfluere paſſi ſunt ii, qui res Dantiſci data opera ſunt proſequuti. Sed illud ego verbis malim Camerarii diſertis et politis, quam meis horridis et incultis proferre. "Erat „Gedanenſis quidam, inquit, aequalis ferme „aetate Eobano, neque corporis ſpecie longe „inferior, inferior tamen, pariter et ingenio

„minor, qui patria adpellatione ſe Dantiſca-
„num (*Dantiſcum*) nominaret. Inter quos
„praeclara contentio exſtitit ingenii et erudi-
„tionis, quum alter alterum operibus Muſi-
„cis, initio ſane, vt accepimus, aliquanto
„infeſtius prouocaret. Sed Dantiſcanus, vir
„prudens, celeriter ſenſit, quam longe in hoc
„ſpatio ab Eobano relinqueretur; et ingenua
„confeſſione primas Eobano conceſſit, et ipſe
„aliam laudis ac praeſtantiae viam ingreſſus
„fuit. Nam Sarmatico Regi ſe adiunxit: cu-
„ius nomine legationibus ad alios Reges et
„Principes functus, ad dignitatem et opulen-
„tiam maximam peruenit.“ At vero neque
Dantiſcus ita de ingenio ſuo deſperauit, vt non
id porro, magna ſua cum laude, huiuſmodi
certaminibus experiretur; velut in Vindobo-
nenſi congreſſu, cum Richardo Bartholino,
praeſtantiſſimo poeta: nec Eobanus vmquam,
ſeu modeſtia, ſiue conſcientia, principatum
iſtum agnouit, ſed in Dantiſco ſemper diui-
nam

nam indolem atque ingenii vim, et efferuescentem quasi calorem poeticum, summis laudibus extulit, ac vehementer suspexit.

Quamquam autem, vt Vos, AMPLISSIMI VIRI, nosse scio, non vni tantum, sed pluribus ex ordine Sarmaticis Regibus (ipse modo tres, modo quatuor enumerat,) sese adiunxit: omnium maxime tamen coluit et adsectatus est Sigismundum, a quo et grauissimis admotus negotiis, et splendidissimis legationibus cohonestatus fuit. Erat enim in tanto Principe etiam litterarum amor, et iudicii quaedam in aestimandis ingeniis acrimonia et elegantia: quibus rebus necessario factum est, vt et homines docti benigniter fouerentur, et litterae ipsae magis ac magis proueherentur. Igitur ad hunc Dantiscus quum primum a Petro Tomicio, optimo et eruditissimo Praesule, quasi comitantibus Musis, deductus esset, mox in illius se gratiam ita insinuauit, ita illius iudicio probatus fuit, vt inter Regiarum epistolarum scri-

ſcriptores cooptaretur. In quo munere adminiſtrando, et multo magis in legationibus obeundis, conſpecta eſt eius eximia et expedita non modo Latini ſermonis, ſed, vt Ioannes Campenſis in Epiſtola, praemiſſa Paraphraſticae Pſalmorum Interpretationi, teſtatur, ferme omnium totius Europae linguarum cognitio: praeterea prudentia, ſollertia, probitas. In primis Regiae poteſtatis atque auctoritatis tuendae et amplificandae adeo ſtudioſus fuit, vt Anciliorum et nominis, vt ſic dicam, oblitus aliquando, more maiorum ac patriae inſtitutis prae illa neglectis, nil vereretur in cauſſa, neſcio qua, ad Regem prouocare. Sed quid ego haec, praeſertim in tali epiſtola, refricem? Illud perſcribam lubentius, cuius memoria et Dantiſco honorifica, et Vobiſmet ipſis iucunda, et iis denique omnibus, quorum ſtudia in cognoſcendo atque illuſtrando priſco patriae ſtatu laudabiliter occupantur, non ingrata fore videtur. Exercebat adhuc

illo

illo tempore veterem ſuam auctoritatem, in Veſtram pariter atque in alias Pruſſiae ciuitates, (iure, an iniuria, nunc non dixero,) Camerae Imperii, vt vocant, Iudicium. Eam auctoritatem quum Veſtri maiores, quod pars iam facta eſſent Reipublicae Polonae, diutius ferre nollent: Sigiſmundus Rex Dantiſco, ad Carolum Quintum Caeſarem ablegato, ius vrbis Veſtrae, quod idem erat ſuum ipſius, adſerendum commiſit. Nam in tabulis mandati, cuius exemplum inter Acta Petri Tomicii Publica, ad me benigniſſime tranſmiſſa, ante oculos mihi eſt, praeter alia hoc erat: „Petendum a Caeſarea Maieſtate, vt ciues Gedanenſes et Elbingenſes non euocarentur ad Cameram Imperialem, nec illis imponerentur vllae ſolutiones, quum Regi et Regno Poloniae ſubiecti ſint, et non alteri." Quod quidem negotium quanta ſtudii atque induſtriae contentione Dantiſcus agitauerit, documento ſunt complures ipſius ad Regem, ad

Pe-

Petrum Tomicium, ſcriptae epiſtolae. Nec ſane in illo perſequendo nullum operae pretium fecit.

Fuerat autem Dantiſcus iam ante functus legati officio ad Venetos, paci inter eos et Maximilianum Caeſarem perficiendae. Qua ſancita anno ſupra milleſimum quingenteſimum octauo et decimo, haud diu poſt ad Carolum Quintum miſſus, praeter Germaniam ſemel iterumque adiuit Belgium, et Heſperiam vtramque; iturus etiam, vt ipſe ad Sigiſmundum Regem ſcribit, ſi ita iuſſiſſet, ad Garamantas et Indos. Nihil enim omnino eſſe, quod illius cauſſa vel difficile putaret, vel vt periculoſum detrectaret. Hac in legatione fere indiuulſus Caeſaris comes, (quippe illi egregiis ingenii atque animi dotibus carus in primis et dilectus,) quot praeclariſſimas res aut prudenter molitus, aut feliciter proſequutus ſit, longum foret commemorare. Praecipue Pruthenicam cauſſam, h. e. Alberti, primi Pruſ-

ſorum

ſorum Ducis, dignitatem et clientelam aduerſus Theutonicorum Equitum Ordinem, immo aduerſus ipſius Imperii Romani poteſtatem, magna ingenii atque eloquentiae vi propugnauit: cuius rei velut aliquod ſpecimen, "Defenſio „Alberti Ducis contra citationem, ab Imperio „factam, Ratiſbonae in Comitiis anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſecundo exhibita," quam formulis deſcriptam vulgari paſſus eſt, in hominum doctorum manus peruenit. Superſedeo ad Vos, ILLVSTRES ET AMPLISSIMI VIRI, plura huiuſmodi ſcribere, quae vel ipſi hiſtoriae praeſertim patriae ſcientiſſimi memoria teneatis, vel pro eximia popularis Veſtri celebritate, proque Veſtra ipſorum elegantia, facundius atque ſplendidius enarrari atque exornari velitis.

Incidit autem Dantiſci haec, de qua dixi, legatio in grauiſſima tempora non ſolum Polonae Reipublicae, ſed etiam Romani Imperii, et fere omnium gentium Chriſtianarum. Nam

et Hungaria et Polonia, a Turcis, immanissimis hostibus, altera etiam a Moscis, infestata: Germania omnis ciuilibus discordiis concussa: Christianorum Principum animi adeo distracti atque diuulsi mutuis odiis, vt ne Pontifici quidem cum Caesare conueniret. Itaque in Italia quoque dira bella arserunt: nec ipsi Romae victoris pepercit ferocitas. Per id aetatis Dantiscus, obita etiam ad Clementem Pontificem de grauissimis rebus legatione, pugnam ad Ticinum pugnatam, Gallorum fractam virtutem, Regemque captum vidit: vidissetque, nisi in Hispaniam reditum maturasset ad Caesarem, vastatam Romam,

Et multo Tybrim spumantem sanguine,

vt poeta ait. Interfuit tamen aliquo tempore post, quum iam debellatum inter Caesarem atque Pontificem esset, Bononiensi congressioni: in qua Pontifex Caesarem, duplici corona et Italica et Romana redimitum, validissime sibi conciliauit. Hac animorum coniun-

ctione

ctione vſus Dantiſcus in publica commoda, vtrumque ad reparandam inter Chriſtianos concordiam, contundendamque Turcarum vim et immanitatem, cohortatus eſt tam graui tamque pio carmine, vt vel hinc, quantum et auctoritate floruerit, et ſtudio rei Chriſtianae fuerit inflammatus, clariſſime nobis pateſcat. Inde in Germaniam cum Caeſare delatus, venit ad illa Comitia Auguſtana, quorum memoriam Euangelicae doctrinae profeſſio ad omnem poſteritatem nobilitauit. In iis, praeter alios complures illuſtri pietatis et eruditionis laude fulgentes viros, Philippum Melanchthonem vidit, eumdemque multis et ſplendidis egregiae voluntatis atque amoris ſignificationibus cohoneſtauit. Quem honorem a tali viro, praeſertim tali tempore, habitum ſibi vehementer admiratus Melanchthon, etiam epiſtola ad eum perſcripta, quae inſerta eſt Illuſtrium Virorum ſelectis ad Dantiſcum epiſtolis, amantiſſime praedicat.

 „Gau-

"Gaudebam, inquit, mihi occasionem offer„ri significandae tibi gratitudinis meae. Ete„nim, quum me singulari beneuolentia com„plexus sis, in eo praesertim loco, in quo „nobis etiam coniunctissimorum hominum „studia defuerunt, facile perspexi insignem „humanitatem tuam, teque tum propter ali„as virtutes egregias, tum vero propter hanc „humanitatem, homine docto et sapiente di„gnissimam, vehementer amare coepi." Dantiscus autem in isto Augustano conuentu, quemadmodum postea in Ratisbonensi, Pruthenicam inprimis caussam, de qua ante dixi, egregio studio actitauit.

In ea legatione annis exactis ferme duodecim, totque ac tantis negotiis perpetratis, in patriam tandem, velut in tranquillum portum relatus, haud diu post idem hoc ingens iterare aequor coactus est. Cuius rei caussas licet ex Corn. Duplicii Scepperi, viri sane quam magni, litteris ad ipsum, anno millesimo quingente-

gentesimo quinto et tricesimo, scriptis non obscure perspicere: quarum aliquam partem non possum facere, quin hoc loco adiiciam. "Quem nostri generis, et in aula versatum, „latent merita tua? Quis diligentiam et in„dustriam, quam aulae ingratae impendisti, „ignorat? Sane, vtcumque alii ista interpre„tentur, ego illi ex animo fauere non pos„sum, etiam si solum esset, quod te inaudi„to tam facile protulerit. Deferuntur qui„dem subinde boni viri: at contra illos non „nisi a malis creditur. Tu vero pie fecisti, „qui quum fruaris optima conscientia, tam „facilis fuisti ad ignoscendum, vt ne recor„deris quidem eorum, quae aduersum te ha„buisti. — — Interea non est, quod de Cae„saris erga te benignitate diffidas. Conspi„rent illi aduersus innocentem: at illum ma„gis tuebitur sua conscientia, quam quiuis „Aiacis clypeus. Iam quod denuo mitti cu„pisti ad munia legationum, ne existimarent

„adhuc finiſtram de te haberi opinionem, per-
„quam gratum eſt intelligere, te ea eſſe vale-
„tudine, vt adhuc eas obire queas. Sed quod
„grauate eas ſuſcipis, prudenter, vt omnia,
„facis. Veniſti enim ad ſtadium: neque opus
„eſt amplius, vt tibi nomen diligentis et in-
„duſtrii pares." Igitur inſequuti anni aeſta-
te, rurſus in Comitiis Ratiſbonenſibus Dan-
tiſcum adfuiſſe, docuit me quidem epiſtola
Eobani Heſſi ad Martinum Hacnum, (Epiſt.
Lib. X. p. 239.) in qua hunc ipſum diſerte ait
potuiſſe illo tempore, illaque in vrbe, prae-
ſentem conuenire Dantiſcum, virum omni-
um, qui viuerent, optimum. Fuerat autem
ei tum commiſſa inprimis cura conciliandi
connubii inter Sigiſmundum Auguſtum, Po-
loniae Regium Principem, et Eliſabetham
Auſtriacam, Ferdinandi, Romanorum Regis,
filiam: quod connubium deinde aduerſa Iu-
none initum, neutrius votis reſpondit.

Sed

Sed de his ceterisque negotiis, apud Caesarem, Pontificem Romanum, Regem Britannum, (nam ad hunc quoque orator aliquando accesserat,) aliosque, bene ac praeclare a Dantisco gestis, tum demum, quum in lucem prodierit ipsius de legatione sua narratio, cuius a Thoma Tretero in Varmiensium Praesulum elogiis memoria est iniecta, pleniorem atque adcuratiorem notitiam habebimus. Etenim Hilario Bartelepho Ledaeo teste, in praefamine, Epitaphiis praemisso Mercurini Gattinariae, sollemne atque vsitatum Dantisco erat, vt siue otiosus, siue negotiosus, priusquam dormitum iret, non solum totius diei acta, Pythagoraeorum more, studiose animo repeteret ac recenseret, sed etiam vel visa acute, vel cogitata prudenter, quotidie in Diario suo perscriberet. Igitur ex hoc quantum lucis Historiae, quantum ipsi Dantisco laudis accedet! Quot dicta egregia, quot res dictu etiam mirae innotescent! Nam, vt hoc

vtar, quod item a Bartelepho proditum eſt, Dantiſcus aliquando ex iſtis Commentariis clariſſime oſtendit amicis quibuſdam ſuis, praecognitum ab ſe tamquam Apollinis monitu fuiſſe non diem modo, ſed paene horam, qua Mercurinus Gattinaria, vir ſua aetate maximus, humanis rebus eſſet exemtus.

Iam vero in illo ſplendidiſſimo legationum officio prudentiam, adſiduitatem, virtutem, etiam litterarum exquiſitam doctrinam ipſis quoque Caeſaribus ita probauit, vt magnis eum praemiis atque honoribus proſequerentur. Et litterarum quidem doctrina, quanto magis nunc prae fortuito natalium ac diuitiarum ſplendore deſpicitur, tanto magis tum in viris talia munera ſuſtinentibus et requirebatur, et celebrabatur. Itaque Maximilianus Caeſar in Vindobonenſi congreſſu Dantiſcum, prout ipſe alicubi narrat, patricia et equeſtri dignitate, adhaec laurea et iurium faſcibus decorauit; quos falſo nonnulli tradunt

dunt Bononiae ab eo ſumtos fuiſſe. Sed his alia, eaque maiora ornamenta vel addidit, vel addere voluit Carolus Quintus: cuius is tanta gratia ac paene amicitia florebat, vt ne inuidiae quidem obtrectatio et malignus dens aduerſus eum aliquid poſſet. Primum autem Dantiſco gentilitia inſignia, vt verbis eius vtamur, nigram niueamque Iouis alitis alam, contulit, tanto ei magis iucunda illa et honorifica, quod tale decus et ſibi, et bonis omnibus promeruiſſe videretur. Porro, ne tam egregiae viri virtuti alia illuſtriora praemia deeſſent, Caeſar eum cooptandum in ſacrum Senatum Pontifici commendauerat, magno ſtudio: quippe Caeſaream Maieſtatem ſcribit Ioannes, Archiepiſcopus quondam Lundenſis, in epiſtola ad Dantiſcum, anno triceſimo octauo ſupra milleſimum quingenteſimum data, omnia fieri clementer curaſſe ea, quae pro illius dignitate et ornamento eſſent. Sed vir, minime adpetens magnae ac ſplendidae for-

tunae, ſatius duxit procul ab ambitione in Praeſulatus nuper ſibi commiſſi officio adquiescere.

Sacerdotium per plures annos Columbae, (oppidum eſt Cracouienſis ditionis,) habuerat non niſi tenue, nec, quam ſumma cum laude tum ſuſtinebat, Regii Oratoris perſona ſatis dignum. Tametſi enim ſingulari Regis optimi et benigniſſimi fruebatur fauore, Procerumque beneuolentia: quo minus tamen ad excelſiorem dignitatis gradum mature perueniret, Bona Sfortia Regina, magis vocabulo, quam re bona, obſtitit. Qua muliebri iniuria ſic aliquando exacerbatum eſt tam mite viri ingenium, illam vt acriori epigrammate, quod in Carminum Libro inuenietur, pungeret. Itaque iam nimium diu neglectus videri poterat, quum tandem reſipiſcente quaſi fortuna, poſt minora alia beneficia, eſt Praeſulatum nactus Culmenſem, & ex eo denique, anno illius ſeculi ſeptimo et triceſimo, ad

Var-

Varmienſem euectus. Hic eſt Varmienſis Praeſulatus in Sarmatis Pruſſiſque late conſpicuus, non modo propter ipſius amplitudinem, ſed etiam propter Praeſulum dignitatem, et partam virtute ac doctrina gloriam: quam noua nunc luce illuſtrat Reuerendiſſimus et Celſiſſimus Princeps, ADAMVS STANISL. GRABOVIVS, pietatis, ſapientiae eruditioniſque fulgentiſſimum ſpecimen. Quod tantum tamque eximium nomen vt ne hoc loco tacitum illaudatumque omitterem, praeter incredibilem obſeruantiam ſpes me incitauit inprimis iucunda, fore, vt hanc noſtram editionis curam, hiſce Poematum impenſam Libris, tam benignus et intelligens litterarum Patronus nutu ſuo comprobaret. Illa autem tempeſtate, vt, vnde abiit, eo reuertatur oratio, tam ſingularis Veſtratibus, AMPLISSIMI VIRI, habitus fuit honos, vt eumdem ad Pontificatum tres ex iis ordine (quales et quanti viri!) euocarentur. In his Dantiſcus, ſicuti

uti pari pietatis virtutiſque laude inſignis, ita ingenii et doctrinae ornamentis multo etiam pulcrioribus enituit.

Iam primum quanta pietas eius, non ſolum pectori atque animo impreſſa, verum etiam carmine et factis declarata! Quae in illo quidem tanto magis ſpectanda atque admiranda eſt, quanto magis genio olim ſuo, (quid enim diffiteamur, quod ingenue eſt ipſe confeſſus?) inter aulae delitias et oblectamenta indulſerat. Etenim iuuenis neque alienus ab amoribus, et vino deditiſſimus fuit, non ſuo magis, quam Seculi vitio: quo abreptum etiam Staniſlaum Orichouium, aequalem Dantiſco, ac rerum Polonarum florentiſſimum auctorem, narrat Antonius Maria Gratianus, (de ſcriptis inuita Minerua, Vol. II. p. 111.) qui illum tradit ſolitum fuiſſe gloriari, "numquam ſe, niſi „perbene potum, ad ſcribendum acceſſiſſe; „tum ſuum diſertum ſtilum, tum res, tum „verba paria rebus, fluxiſſe ſibi, quum mero „peni-

„peritus incaluiſſet.” Verum Dantiſcus haec et talia penſauit magnis ac praeclaris virtutibus, integritate, candore, liberalitate, quam egregiis documentis expertus eſt inprimis Eobanus Heſſus, tantis aliquando rerum preſſus anguſtiis, vt e ſuo muſeo Homerico, hoc eſt, quemadmodum ipſe interpretatur, paene mendico, ſed tamen poetico, ad Io. Ferrarium ſcriberet, (Epiſt. Lib. VIII. p. 208.) ne ad candelas quidem faciendas pretii ſibi tantillum ſuppetere. Erat autem illi vetus cum Heſſo amicitia, inita olim atque contracta ſtudiorum, quod arctiſſimum vinculum eſt, ſimilitudine. Quo eodem vinculo obſtrictus fuit et aliis bene multis praeſtantibus excellenti doctrina viris, Nic. Copernico, Sigiſm. Herberſteinio, Rich. Bartholino, Vrſino Velio, Ge. Sabino, Iac. Spigelio, Io. Secundo, Io. Campenſi, et illis ſapientiae diuinae humanaeque triumuiris; Phil. Melanchthoni, Ioach. Camerario, Eraſmo Roterodamo, a

quo

quo illi Basilii de Spiritu S. Liber docta et eleganti epistola est inscriptus. Reliquos, quorum est infinitus numerus, silentio praetermitto: vnum adhuc laudari a me fas est Cornelium Duplicium Scepperum, fidum Dantisci, vt Hilarius Bartelephus et ipse iunctus vtrique consuetudine ait, Achaten, obitisque honestissimis legationibus, ac ciuilis prudentiae studiis, et mirifica etiam ingenii vi parem illi ac secundum. Nam et carminis pangendi facultate sic pollebat, vt idem Bartelephus scripserit, dum remitteret animum, dum latrunculis luderet aut tesseris, istiusmodi epigrammata fecisse, qualia ne possent quidem, qui hoc solum, vel ex professo, agere viderentur. Amicitiae autem cum Dantisco sanctissime cultae monimenta reliquit, ad omnem posteritatis memoriam peruentura, complures ad illum epistolas, ex Prussicis manubiis quondam illatas in Vpsaliensem Bibliothecam, atque inde non ita dudum ab Ernesto

Ioach.

Ioach. Vueſtphalenio, viro illuſtri, inter Cimbrica Monimenta editas. In ceteris amicis, natalium dignitatumque ſplendore conſpicuis, haud ſcio, an vllo Dantiſcus ſit magis laetatus, quam Ferdinando Corteſio, Hiſpanorum clariſſimo duce: cuius ex animo quamquam alio ſub ſole, alio in orbe terrarum degentis, haud effluxiſſe ſui memoriam, ipſemet non ſine gloriatione memorauit. Neque minori ſtudio Mercurinum Gattinariam, Cardinalem, ac Caroli Quinti ſummum ſcriniorum Magiſtrum, et viuum coluit, et mortuum non modo ipſe pulcro epitaphii honore proſequutus eſt, verum etiam, vt idem facerent poetae ſodales, exemplo et auctoritate ſua perfecit: quorum carminum, olim a Bartelepho collectorum, faſciculus ita ſe oculis hominum doctorum ſubtraxit, vt ſi abſque Schelhornio, litteratiſſimo viro, fuiſſet, is nec in meam notitiam facile perueniſſet.

Poſſem,

Possem, VIRI ILLVSTRES, si nostram tenuem operam praeclarum Dantisci nomen posceret, in hanc rem plura commemorare. Sed quum ego nec epistolae modum excedere, nec Vos ab ingressu, in hos amoenissimos quasi hortos Musarum, diutius remorari velim per longa diuerticula, ne de doctrina quidem eius multiplici atque eleganti copiosius exponam. Inerat autem ei exquisita iuris sacri ac ciuilis intelligentia; pulcerrimarum rerum non solum illa ex Philosophorum libris quaesita, sed ex omnis aeui, omnium populorum historiis plenius hausta cognitio; facundiae tam eximium decus, vt et Pontifex Romanus, et Curiae Romanae disertissimi Senatores in eius admirationem pertraherentur. Praeter haec studium et sollertia per omnem vitam summa. Adeo quidquid a grauioribus curis superesset otii, bonis litteris impendebat, atque, vt historiae lumen posteritati et ipse praeferret, rebus egregie gestis illustrandis iden-

identidem operam admouebat. Exſtat de victoria Sigiſmundi Regis, a Moldauiae Duce reportata, breuis, ſed luculenter ſcriptus, dicatuſque Stephano Gabrieli, Archiepiſcopo Barrenſi, libellus: pleraque alia aut numquam typis mandata, aut abſcondita bibliothecarum penetralibus, quamquam luce digniſſima, occuluntur. Ipſa eius carmina vt delituerunt huc vſque! vt obliuionis iniuria paene oblitterata ſunt! Duo tamen fuerunt et inſignium meritorum magnitudine, et egregiae virtutis atque eruditionis gloria, et ſingulari in optimas artes amore, gemini, alter Staniſlaus Hoſius, quondam Cardinalis, ac Varmienſium Praeſul, alter Seculi noſtri praeclariſſimum ornamentum, IOSEPHVS ANDREAS e ZALVSCIIS Comitibus, Epiſcopus Kiouienſis; quorum ille, praeter Paraeneticum Carmen, etiam Hymnos formulis eleganter excudendos curauit; hic vno faſce complecti omnia, et in conſpectum politiorum hominum proferre

quum voluiſſet, roganti mihi permiſit, (quid enim optimi Patroni beneuolentia mihi non daret?) vt illud tam pulcrum, atque omnibus elegantiarum ſtudioſis tam gratum conſilium a me, fauſto eius auſpicio, perageretur. Ex Poeius itaque bibliotheca non modo Codex Poematum, quem Ianoſcius, Vir Eruditiſſimus, (in Spec. Catal. MSCtorum, p. 93.) magnopere laudat, ſed etiam ſingula plurium carminum exempla ad me ſunt benigniter tranſmiſſa. De qua Magni ZALVSCII benignitate praeuideo animo, AMPLISSIMI VIRI, et Vos eſſe cum propter liberalis doctrinae vtilitatem, tum propter popularis Veſtri memoriam, vehementer gauiſuros. Nec vero praetermiſi ego huiuſmodi alia diligenti, ſed irrito ſtudio indagare, vbicumque poteram, etiam apud Vpſalienſes: ad quos nihil quidem harum Camenarum perueniſſe, rerum talium cumprimis periti, Io. Ihrius, nobiliſſimum Sueciae decus, atque

Ericus Hydrenus, Vir Praeſtantiſſimus, per litteras mihi ſignificarunt.

Iam vero de his, quae iſthoc libello complexus ſum, Dantiſci carminibus ſi ad Vos inſtituerem multa diſſerere, nae ego vel cauſſae ipſi diffiſus, vel moleſte ſedulus viderer. Etenim ſua ipſorum pulcritudine ſatis illuſtria, haudquaquam commendatione noſtra indigent, ſuperuacanea certe illa apud Vos, intelligentes nimirum omnis politioris doctrinae aeſtimatores. Adeo ille elatus in Heroicis eſt, in Elegis lenis, acutus in Epigrammatis: in Hymnis plane Prudentium aemulatur. In vniuerſum autem ingenii foecundi facilitatem ita ſequutus eſt, vt inter ſeueriſſima negotia ſaepe luderet verſibus, grauiſſimaque carmina, vt illud in obitum Mercurini Gattinariae, etiam inter equitandum componeret. Quo procliuius fuit, labi aliquando in leuioribus, vt in ſyllabarum menſu-

ris, praeſertim ei, qui ſententiarum neruos potius, quam orationis phaleras, conſectaretur. Praeterea ſi quis cogitat, quot et quantis negotiis diſtentus fuerit, ne ſi moroſiſſimo quidem iudicio eſt, verborum incuriam in eo exagitabit. Vnum erat, quod an ederem diu animi ſuſpenſus, edidi tamen, vt ne quid ſtudio vel adſentatione omiſſum videretur, Ionae Prophetae vaticinium, in quo ille, quaſi accenſus quodam auitae religionis ſeueritatiſque aeſtu, mores maiorum Veſtrorum, quales tum fuerunt fortaſſe, vehementius eſt inſectatus. Non ſum ignarus fuiſſe, qui a Dantiſco ita illud perſcriptum ambigerent, rati ab alius infauſta manu pus atque venenum eſſe admixtum; longe diuerſum eſſe Dantiſci quondam a Friedmaldo, et rurſus a Schröero vulgatum vaticinium. Id quidem ad me ſerius perlatum, ab his Poematum libris exſulat. Quidquid autem eius rei eſt, longiſſimo certe interuallo remotum eſt, vt ab hac aetate, ſic ab iſtis, qui nunc ſunt, mori-

moribus vrbis Veſtrae, in qua et religioni ſua ſanctitas, et virtuti honos, et litteris decus conſtat. Iam quanta Senatus grauitas, innocentia, integritas! Quanta tua, GRALATHI, qui nunc publicae rei gubernacula ingenti cum laude tenes, ſapientia; Tua, LENGNICHI, immortalibus parta ingenii doctrinaeque monimentis celebritas! Sed quo vſque me ſtudium in Vos meum, quo vſque admiratio gloriae Veſtrae prouehit? Atque ipſe Dantiſcus quidem, ſi haec in tempora incidiſſet, qua fuit mentis perſpicacia atque animi altitudine, patriam plurimis et maximis laudibus, Vos omnes beneuolentia et amicitia proſequeretur.

Sed, ne meam de Dantiſco narrationem longius ducam, quum ille climactericum annum agitaret, magno cum omnium bonorum dolore et luctu fatis conceſſit V. Kal. Nouembr. anno ſupra milleſimum quingen-


teſimum quadrageſimo octauo. Vnde facili negotio error cognoſcitur Ioachimi Paſtorii, Polonarum rerum praeclari auctoris, qui anno adhuc ſexto et quinquageſimo Dantiſcum a Carolo Quinto, poſteaquam is abdicato imperio ceteros Principum legatos omnes dimiſiſſet, vnum in Hiſpaniam eſſe deductum memoriae tradidit. Statura, atque omnino habitu corporis conſpicuus erat, nitida et decora facie, oculis grandioribus ac fulgidis, e quibus placidi animi et ſuauis ingenii ſigna elucerent. Talem eius imaginem ad exemplum vetuſtae tabulae, quae inter illuſtria bibliothecae Veſtrae monimenta ſeruatur, in aere ſcalptam huic Libro praeponendam curauimus. Nam quae in numo, nuper doctiſſime deſcripto, expreſſa eſt viri facies, opaca barba et fronte ſeueriore, eam haud conueniens fuit tam pulcris Muſarum donariis adfigere.

Haec

Haec habui, ILLVSTRES ET AMPLISSIMI VIRI, quae ad Vos exiſtimarem de Dantiſco perſcribenda eſſe, non modo vt optimi atque eruditiſſimi Praeſulis memoriam renouarem, et ceterorum ſtudiis commendarem, verum etiam vt meae aduerſus Vos maximae obſeruantiae, quantum poſſem, ſatisfacerem. Quod quamquam in hac et orationis et ingenii tenuitate haud licuit mihi magnificentius agere: conſilium tamen ac voluntatem crediderim Vobis abunde me comprobaſſe. Ceterum, poematiis quas exiles paſſim adnotationes adieci, eas quoque, Vos oro, vt benigne accipiatis. In his aut editiones illorum varias indicaui, aut vnde ipſe depromſerim antea abdita et ignota, ſum profeſſus. In nonnullis licuit alia haud vulgaria, neque cognitu iniucunda, commemorare. Addidi etiam Adoptiuum Librum lectiſſimorum Carminum, quae amicitiae Dantiſci honorique olim a clariſſimis viris dicata

ſunt.

ſunt. — Valete, et rempublicam diutiſſime ornate! Scripſi Lipſiae, prid. Kal. Maias A. R. S. MDCCLXIIII.



IOAN-

IOANNIS DE CVRIIS

DANTISCI

POEMATA

E BIBLIOTHECA

ZALVSCIANA



EPITHALAMIVM
IN NVPTIIS
SIGISMVNDI I. REG. POLONIAE
ET
ILLVSTRISS. PRINC. BARBARAE
E COMITIBVS SEPVSIENS

De prima editione, quae ſub nomine *Ioh. Linodeſmonis Dantiſci*, Cracouiae An. 1512. prodiit quaternis, vid. *Ioh. Dan. Ianoſcii*, eruditiſſimi viri, Commentar. de libris Pol. rarioribus, in Bibliotheca Zaluſciana, P. III. p. 77.

Nullus Alexandri effigiem, niſi Cous Apelles,
Audebat priſcis pingere temporibus.
Nil leue, nil crudum, maieſtas Regia poſcit,
Nil, quam quod iuſto pondere pondus habet.
Hinc vereor, Regum ſpecimen, Sigmunde, decusque,
Incultum tibi quid ne mea Muſa ferat.
Eſſet opus, fateor, Flacco, magnoque Marone,
Calliopes nato, Moeonioque ſene;

Hoc iam coniugii praeſertim tempore ſacri,
Vt fauſtos canerent tempus in omne toros.
Non tamen audaces potui retinere Camenas,
In laudem dicunt quae bona verba tuam.
Suſcipias clemens, Rex inclite! ſuſcipit, inquam,
Immenſus paruas Ennoſigaeus aquas.
Dent alii gemmas, aurum, dent ſerica multa:
Tu gemmas, aurum, ſerica multa tenes.
Aſt ego do carmen: ſacri dant carmina vates,
Quae famam claris ſaepe dedere viris.
Sume tui ſcribae, ſubito conflata calore,
Munera, quo Superi pectore tura ſolent.

Arctoas ſtrepuit felix hymenaeus ad oras:
Aera ſonant, litui ſtrident, et tympana crebro
Pulſantur, laetus clangor ferit aſtra tubarum,
Tibia dat modulos, flatus ſyringa ſonoros,
Tanguntur citharae, reſonantia plectra mouentur.
Heroum, procerum, chlamydatorumque cohortes
Adueniunt, equitum turmae, peditumque cateruae,
Te, Sigmunde, petunt: Rex inclite, pande ſerena
Fronte fores, ſiquidem, felici numine Diuûm,
Venit Pannonicis tibi formoſiſſima ab oris
Nupta: tuas iam pande fores, hanc excipe laetis
Luminibus, felix iam connubialia iunge
Vincula

Vincula, Reginamque ſacro diademate Regni
Conſortem facias: haec eſt te digna marito,
Regis digna vxor, Reges parituraque digna,
Sola inter cunctas, ſunt quotquot in orbe, puellas.
Hanc Superi tibi coniugio propriamque dicarunt.

Interea dum pompa venit, dum nupta ſacratur,
Ponitur auricomis dum fulua corona capillis,
Dic, Erato, nobis, fuerat quae cauſſa beati
Coniugii, primos iucunda exponeque amores.

Parrhaſias vidit terras Saturnia Iuno,
Aetherei Regina Iouis, quae regna gubernat
Cuncta orbis, iuſtó tandem rectore teneri,
Ne poſt longaeuae venturo tempore vitae
Conſimili regnum dein ſucceſſore careret,
Compellat blando pulcram ſermone Dionen:
Iam ſatis eſt certaſſe odiis, Erycina, ſuperque.
Troia iacet, celſaeque iacent Carthaginis arces.
Quaelibet ulta ſuos; ponamus praelia tandem.
Pax ineunda quidem ſatius: te foedere iungi
Perpetuo nobis gaudebit regia caeli,
Gaudebunt Erebi manes, tellusque, fretumque.
Sum mundi, ſummique potens Regina Tonantis:
Tu volucrum domina, et genetrix es dulcis amorum,

Nil ſine me poſſunt mortales, te ſine nilque;
In noſtro totus nutu deuoluitur orbis.
Conueniamus: erit totum pax laeta per orbem.
Aurea, ſub noſtro fuerant quae patre, redibunt
Secula: ſic rediens liquida deſcendet ab aethra
Iuſtitia, et, iuſto viduatas iudice, leges
Firmabit; caedes, acies, et bella repellet.
Ceſſabunt multi ſic incrementa tributi;
Non plus priuatis creſcent aeraria damnis
Publica; non hominum deuincet pectora merces.
Non erit emta fides: ſtabit certo ordine mundus.
Non ſimulata loquor. Tyrrhenum nulla per aequor
Gens inimica mihi tranat: iam pectore toto
Iudicium ceſſit Paridis: praeferre per omnes
Te patiar. Redeat concordia, quae fuit, ante
Quam dederat Bellona furens, mala munera, malum.
Appias haec contra: Dudum, o Regina, quid optas,
Quaeſiui, voluique diu tibi iungere dextram,
Labantique hominum tecum ſuccurrere vitae.
Omnia verſa quidem, magnis eliſa ruinis
Interea, diſcors noſtras ſententia mentes
Dum tenuit: legum periit veneranda poteſtas:
Succubuit vitio virtus, et viribus aequum:
Millia multa virûm, tot regna, tot oppida et vrbes,
Interiere, fuit donec mens aſpera nobis.

Sumo libens, quaecumque iubes. Parere nouercae
Dulce erit, et tantas tecum componere lites,
Non mollis durae ſiquidem ſunt pectoris irae.
Quid ſit opus, doceas: ſum iuſſa capeſſere praeſto.
Oſcula libauit Veneri, dextraque retenta,
Cara Iouis coniux placido ſic pectore fatur:
„Inclitus Arctois fuerat Caſimirus in oris,
Rex armis et pace potens; quem fouimus iſto
In gremio; Rex diues opum, Rex milite multo
Inſignis, toties raptis qui ex hoſte tropaeis
In regnum rediit, victricia ſigna reportans.
Hic fuerat claris, a Gadibus vſque, ſub Eurum
Cognitus ex titulis, et per ſua grandia geſta.
Qui, dum grandaeuis fatales vixerat annos,
Quattuor eximios Regali ſanguine Reges
Progenitos dederat: duo ſceptra Polona gerebant.
Tertius Hunnorum geſtat diadema coruſcum,
Atque Bohemorum iam longa aetate tiaram
Hic habet, heredem regnis dum fata vocabunt.
Iunior aſt aliis, qui nunc veſtigia patris
Inſequitur, regnumque tenet, ſceptrumque paternum
Geſtat, habet nullum, regni cui tradat habenas,
Lanificae frangent dum ſtamina longa ſorores.
Omnes illius diuo, quae crimina pellunt,
Corde Deae reſident: Pallas dedit aegida, clarumque

Ingenium; ſpecimen dederas; Charitesque decorem;
Ipſa dedi regnum, dedi opes, titulos, et honores;
Iuſtitia vtilibus ſuaſit praeponere rectum,
Et tectis merſum latebris educere verum.
Talem Cecropidae quondam ſenſere Solonem;
Et Lacedaemonii talem ſenſere Lycurgum.
Iuſtior, in dubiis qui litibus addere finem
Poſſet, adeſt nemo: ſi quando iura duobus
Deficiunt, aequum concedit vtrique duellum.
Quid multis? ille eſt, in quo ſincera bonorum
Congeries; in quo virtus ſibi nuda parauit
Rite domicilium. Similem quae protulit aetas
Conſilio Regem, vel iuſto Marte? Laceſſit
Nullum, ſed proprio viuit contentus in orbe.
Ipſe laceſſitus ſi quando ſuſcipit arma:
Velox egreditur, nullos fugiendo labores,
Aurea fulcra tori, dulcem ſpernendo quietem;
Hoſtes intrepidus ſequitur per tela, per enſes;
Et ſpoliis ſemper remeat ſic victor opimis.
Quid potuit, patria depulſus ſede Michael,
Per fraudem voluit qui Dux Lithuanus haberi,
Sentit adhuc; errat Scythicis deuictus in oris,
Seque, ſuosque, miſer, ſuaque omnia, perdidit exſul.
Quid potuit, noſcunt pharetrati martia Moſchi

Caſtra

Caſtra, Boryſthenidas paruo dum milite turmas
Proſtrauit, pacemque ſuis, non munere miſſo,
Sed fecit iuſtus victor victricibus armis.
Quid potuit, Valachus, qui Myſia poſſidet arua,
Edidicit nuper; coepit triſtes hymenaeos:
Pro taedis flammas, pro tela cruenta choreis,
Perfidiae vltorem tot millia caeſa tulere.
Talis erat Caeſar, Marius, rigidusque Camillus;
Hannibal ad Cannas; ad Troiam fortis Achilles.
Iſta ſuperſtes adhuc reſtat Caſimiria proles,
Regibus exorta, et Reges genitura ſequaces.
Clara igitur domus haec Regum ne Principe in vno
Deficiat, tibi ſit curae, pia mater amorum.
Si tanto tibi digna viro ſit in orbe puella,
Exquiras: radiat vultus grauitate verendus,
Regaliſque ſacro maieſtas eminet ore.
Ingentes vernant procero in corpore vires,
Innumeraeque animi dotes, quas inclita virtus
Praeſtitit; eloquium ſolidum, et tam dulce loquendi
Pondus, et ingenii tam clara iuuenta profundi.
Iungatur pulcro formoſa puella marito:
Iungatur ſollers Regi Regina diſerto.
O quae progenies terris, quae clara propago,
Hinc creſcet! Tum plura loqui Venus alma volentem
Interpellat, et his dictis adfatur amicis:

Mens eadem fuerat tecum mihi, regia Iuno,
Et tecum, ſuper his, dudum conferre volebam;
Sed tibi adhuc fuerant commoti pectoris irae.
At veteris tandem quoniam nunc omnis adempta eſt
Lis inimicitiae, tibi cuncta arcana patebunt.
Nuper Pannonicis reuolabat noſter ab oris
Natus per regnum, ſic fata dedere, Polonum,
Inque ſinum feſſus, pharetra praecinctus et arcu,
Procidit, atque hilaris, ſuſpenſus in oſcula, dixit:
Nil mihi cum priſcis, quas vidi ſaepe, puellis.
Eſt ex Hunnorum praeclaro ſtemmate virgo:
Vidimus, o genetrix! mortalis femina nulla
Pulcrior, aethereis non adſpernanda Deabus.
Non Spartae, non huic ſimilem genuere Mycenae:
Tam pulcram numquam te Cous pinxit Apelles:
Phidiacis ſculpta eſt manibus non pulcrior vlla:
Fulgidior niuibus Riphaeis corpore toto.
Purpureo in facie eſt ſuffuſus ſanguine candor,
Rubris mixta roſis argentea lilia vincens.
Haec, porphyriaci tu quidquid vbique ruboris,
Et candoris habes, habet. At mea ſpicula nondum
Senſit, nec noſtras intra praecordia flammas.
Excubiis caſtis, morum probitate, fideque
Imbuta eſt, matura viro: ſtat nubilis aetas,
Crudaque virginitas, digno rapienda marito.

Hinc

Hinc dum per terras, tardus temone Bootes
Quas gelido ſpectat, volitarem flamine dextro,
Vidimus aethereos in diuo Principe vultus,
Qui gerit Arctoi nunc ſceptra potentia regni.
Intrepidam faciem mirabar, membra toroſa,
Magnanimique viri robuſto in corpore pectus.
Et tantum lati peragraui climata mundi,
His poſſem ſimiles ſi forte videre duobus.
Non ſunt in toto ſimiles his orbe duobus!
Iunge toros, vnoque animas in corpore binas
Coniugio dulci, longaeuo tempore, claude.
Dixerat: et noſtra petulans ceruice pependit.
Extemplo placuit volucris ſententia nati.
Linquo Paphum, Cypriis per inania vecta columbis,
Verſus hyperboreos, aquilonia culmina, montes,
Vndique me tenerûm circumdedit agmen amorum:
Corytos alii ex humeris, tenſasque ſagittas,
Atque auro infectas pleno geſſere pharetras:
Innumeras geſſit faculas pars igneus ordo.
Exſultant pueri; crebrum glomerantur in orbem:
Quiſque ſuas vires, protenſaque brachia iactat.
Cuncta ferire ardent. „Mare, tartara, ſidera, tellus,
„Scis, ait, alma parens, cunctis laſciuior vnus,
„Meque, facesque meas, haec et victricia tela
„Senſerunt. Quoties dimiſſis Iuppiter aſtris,

Imber

Imber, olor, Satyrus, bos, ſerpens, flamma, Diana,
Ingemuit noſtro ſtupidus perculſus ab arcu?
Exarſit gelidis ſic Ennoſigaeus in vndis:
Nereus, et Triton, noſtras ſenſere ſagittas:
Senſerunt curuo nos ſaepe in littore Phocae.
Rapta eſt Perſephone quondam praedone marito,
Me duce: de ſtygiis haec cepit dextra tropaeum.
Nec tibi, ſis quamuis genetrix dilecta, peperci.
Alcidem domui: domitus Polyphemus in antris
Eſt Siculis. Quid adhuc dubitas? mandata recuſo
Nulla, modo iubeas: manus eſt mihi certa, potenſque.
Poſt, vbi turritis diues Cracouia muris
Tollit in aſtra caput, cupido deuenimus omnes
Viſendi Regem ſtudio, qui iura, paterno
Tunc ſolio reſidens, populo dabat: illico viſo
Obſtupui. Latos humeros, oculoſque, genaſque,
Et tanti quis non miretur Principis ora?
Sic fueram Getici quondam inflammata mariti
Vultu; me tali facie membriſque decoris
Cepit Dardanius, dum ſtarent Pergama, coniux.
Nate, tua hic opus eſt opera: deprome pharetra
Auratum, dixi, iaculum. Sicne iſte per aeuum
Ibit, legitima et claris ſine coniuge natis?
Obſequitur: dextra telum librabat ab aure:
Hunniacam in Regis defixit corde puellam.

Expe-

Expetit hanc ſolam; ſolam hanc in mente volutat.
Aedes conſtruxit, palatia celſa, cubile
Reginae regale ſuae. Ne virgo beati
Expers coniugii foret, ocius illius arcem
Cum natis ſubeo, quam ſolam rite ſedentem
Dum vidi, et caſto verſantem pectore cultum
Veſtalem, verbis ſtupefeci talibus: O quam
Te memorem, virgo, tenerae decet eſſe iuuentae,
Et formae generiſque tui! non Claudia ſemper
Talis erat, populo tractans ſpectante carinam;
Rapta ab Amyclaeis non candida Tyndaris aruis;
Nec vultus ſemper Lauinia geſſit eoſdem.
Omnia tempus edax, et carpit cuncta vetuſtas.
Vtere, dum Lacheſis felicia ſtamina ducit,
Annis, et tacitis numquam redeuntibus horis.
Solane ſic viduo marceſces frigida lecto?
Solane ſic pulcrae traduces tempora formae?
Quid tibi virginitas ſterilis, vitaeque pudicae
Norma tuae? Non hoc oculi, qui ſidera vincunt
Lumine, et auricomi per lactea colla capilli;
Hoc color in facie non poſtulat: ipſa decorem
Non fruſtra adpoſui, quo cunctis pulcrior eſſes.
Si Thetis hoc quondam, quod tu, tam dura probaſſet:
Numquam magnanimus terris datus eſſet Achilles.
Mens eadem Alcmenae ſi quondam forte fuiſſet:

Thebani nuſquam nunc eſſent Herculis acta.
Non pius Aeneas; pueri, mea turba, volucres
Non eſſent: thalamum ſi quondam forte fugiſſem
Dura viri. Nihil eſt in toto dulcius orbe
Coniugio, parili quod iungitur igne duorum.
Hoc tibi ſit cordi: iam tempus poſcit, et aetas.
Molleſcas, dulcis perdiſceque munus amoris.
Iungeris Regi, Reges paritura potentes:
Hunc plus, quam carae genetricis ſemper amabis
Oſcula caſta tuae, quam fratres, quamque propinquos.
Eſt ſiquidem Princeps hic a te dignus amari.
Hunc ſi vidiſſet quondam Capaneïa coniux:
Hoc viſo non ſe flammis moritura dediſſet;
Hoc viſo non ſe Lucretia caſta necaſſet;
Hoc viſo laqueo non iſſet Phyllis ad Orcum.
Hunc propter Phrygium raptorem pulcra Lacaena,
Colchica magnanimum cum vellere Jaſona virgo,
Gnoſia Cecropium ſpreuiſſet fida maritum;
Spreuiſſetque ſuum caſta Icariotis Vlyſſem.
Huic quondam ſimilem ſi ſecula priſca tuliſſent:
Diſcerptus ab apro mihi non placuiſſet Adonis;
Non, qui tela Ioui Siculis faber aſperat antris;
Is neque, mecum olim quem Lemnia vincla ligarunt.
Iunge toros; qui ſoluat hymen, metamque pudoris,
Dignus adeſt tibi vir; tu coniuge digna marita.

Dixi.

Diximus: et tacitos ſic inſpirauimus ignes
Virgineis ſenſim flagranti ardore medullis.
Caſta verecundus ſubito pudor ora notauit.
Ingemuit ducens imo ſuſpiria corde.
Quod cupis, effeci: thalamo non dignior vlla eſt
Regali. Nunc hymen adeſt: tu pronuba Iuno
Adſis, et mecum parili connubia flamma
Iunge, ſacroque nouae nuptae diademate pulcrum
Cinge caput; decimo pariturae menſe benignam
Confer opem, faciles vtero concede labores.
Romulidum quondam non Ilia mater in orbe
Huic erit aequanda, aut Poenos duo fulmina belli
Quae tulit, aut Regis Macedum Regina Philippi.
Adnuit alma Iouis coniux, dignaſque ferebat,
Pertaeſa irarum, tanto pro munere, grates.
Sic abiere Deae, concordi foedere nexae:
Quaeque ſuas alacris petiit per lactea ſedes
Aethera vecta: Samum rediit Saturnia proles;
Dilectamque Cyprum volucrum pia mater amorum.

Haec eſt ergo dies, niueo quam vellere Parcae
Lanificae tibi nent, claris ſignanda lapillis,
Inclite Rex, omni, duce te, memorabilis aeuo.
Optatae cernis nunc candida coniugis ora:
Iam porphyriacas malas, iam rubra labella,

Side-

Sidereos oculos, et eburnea colla ſtupeſcis.
Cur haeres? dederat iam vincula Iuno verenda:
Aude! animos Cytherea dabit, ſi forte repugnat.
Haec clarum faciet clara te prole parentem;
Haec Caſimiriacae fietque propaginis auctrix.
Nunc igitur, quibus eſt regni pia cura Poloni,
Pontifices, primos qui relligionis honores
Fertis, magnifici heroes, proceresque potentes,
Formoſi iuuenes, formoſae deinde puellae,
Matres, cum ſenibus pueri, nutrixque viciſſim,
Reginae crebro dextros, Regique, precentur
Succeſſus, validam longaque aetate ſenectam.

At iam tempus adeſt: genio indulgete ſecundo
Omnes, Arctophylax tardo quos deſpicit axe,
Laetitiae, dulceſque ioci, facileſque choreae,
Vndique nunc reſonent, per rura, per oppida, et vrbes.
Sint procul ex omni triſtes nunc pectore curae;
Sit procul omne malum; moerorque, dolorque dehiſcat!
Haec hilares hominum poſcunt noua gaudia mentes:
Arctoas ſtrepuit felix hymenaeus ad oras.

AD INCLITVM

SIGISMVNDVM I. R. POLONIAE

DEPRECATIO

Non matutino crudas, Rex inclite, vultu
  Primitias ſcribae ſuſcipe, quaeſo, tui.
Maturas capies, teneris ſint otia Muſis:
  Otia tranquillo pectore Phoebus amat.
Marte ſatos alii fratres, Regeſque ſuperbos
  Cantent, geſta ducum, multaque bella virûm;
Tercentum Fabios, Catulos, forteſque Camillos;
  Africa ſiue quibus nomen in orbe dedit;
Aut Marios, Decios, Curios, geminoſque Catones,
  Marcellum, Syllam, Fabriciumque grauem;
Pompeioſque duos, vel Caeſaris ardua geſta;
  Quoſue dedit claros Punica terra duces;
Aut fortem iuuenem, deceptam cernere cuius
  Porſena non potuit mitis in igne manum:
Seu celebrent illum, cui poſt ſua terga reuulſus
  Pons erat, Etruſcis cognitus enſe viris.
Te ſolum, Rex magne, canam, Sigmunde, tuoſque:
  Dent modo textrices ſtamina longa Deae.
Dum verno veniet maturior agnus agello;
  Foecundi capies grandia dona ſoli.
Iam mentem metire tui, non munera, ſerui:
  Cor hominis flectit, non data tura, Deos.

IO. DANTISCI
DE
SIGISMVNDI I. REG. POLONIAE
VICTORIA CONTRA MOSCOS
SILVVLA

Primum edita eſt Cracouiae quaternis, An. 1514. quo ipſo anno Moſci acie victi ſunt Iſti editioni acceſſit "Hymnus exhortatorius *Valentini Eckii*, „Philyripolitani, ad Cracouiam, vt diutinos ſingul- „tus, quos hactenus] ob incertos inuictiſſimi Regis „ſui, Sigiſmundi, tumultus contra Moſcos habuit, „deponat, atque plauſibiliter ob inſignem victori- „am triumphet." *Ianoſcius* Comment. l. c. item ali- am editionem memorat, Romae ab *Io. Laſcio* olim curatam.

Reſpexit tandem ſenſus, animoſque labantes,
Continuaſque preces, et feruida vota ſuorum,
Omnipotens genitor, rerum cui ſumma poteſtas,
Qui iuſtos, et iuſtitiam non deſerit vmquam,
Perfidiae crimen qui non impune remittit,
Cordeque qui rectos amat, et proſternit iniquos.
Supplicium clemens audiuit vota preceſque;
Erexit tandem ſenſus, animoſque labantes,
Contra perfidiam, contra periuria Moſci,
Qui iam iam meritas ſoluit, pro crimine, poenas.
Corruit, et tota fuſus cum gente, per oras
Paucis ſtipatus fugiendo Boryſthenis errat.

Tradita per fraudem tibi nil Smolenſcia, moles
Lignea, praeſidii poterit dare, perfide Vaſil.
Illa breui tibi nam rurſus capietur: inultum
Nil erit. Ipſa tibi, quo laetis triſtia miſcet,
Oſtendit fortuna trucem contraria vultum.
Nulla diu ſiquidem res ſic male parta tenetur.
Diripient patrios victricia ſigna penates.
Haec, modo quam cernis, victrix te dextra ſequetur,
Ad Tanaim fugias, liceat, vel ad extera Nili
Oſtia: non poteris tutus ſub Gadibus eſſe;
Nec te ſurripiet victoribus vltima Thule.
Audiſti quando ſtragem, caedeſque tuorum,
Forte cruentato dum nuntius ore referret,
Tot cecidiſſe duces, prope tot tibi ſanguine iunctos,
Exciderant lacrimae, miſeranda per ora, citatae.
Sed ſero lacrimas fundis, lamenta, querelas,
Et ſero ſupplex tellurem vertice pulſas:
Denique nunc ſero veniam, pacemque, repoſces.
Sunt extrema tibi, miſere periture, ferenda.
Laus tibi ſit, ſummi genetrix veneranda Tonantis,
Cuius natalis nobis haec gaudia fecit.
Te duce, magnanimus proceſſit miles in hoſtes;
Te duce, proſtrati Moſcorum millia multa;
Te duce, victrici fugientes enſe necati.
Inde breui ſpoliis remeabit diues opimis

Haec tua gens; figet bene parta tropaea ſacratis
Rite tholis: haec nam per te victoria noſtra eſt.
Nunc hominum ſubeant merito noua gaudia mentes,
Hoc ſic deuicto, cum tot modo millibus, hoſte.
Qui fuerat nuper metuendus, nunc timet ipſe:
Per nemora et ſiluas, incerta ſede, vagatur.
Huc vbi erant luctus igitur, curaeque profundae,
Et vultus triſtes, et ſingultantia verba
Hactenus, huc redeant citharae, facileſque choreae,
Et riſus, dulceſque ioci. Depone moroſo
Pectore triſtitias, regni Regina Poloni,
Inclita victoriis, claros viſura triumphos
Paullo poſt, dum compoſitis his vndique rebus,
Fauſtiter huc portans victricia ſigna, redibit.
Omnes, Arctoi qui ſunt ſub ſidere caeli,
Extollant denſas laeto de pectore palmas,
Et laudes hilares animis, et carmina Chriſto
Per plateas, vicos, regiones, compita, cantent.
Magnanimi dextra proſtrarunt Marte Poloni
Infidas Scythiae gentes, victoſque ſub vmbras
Victores aliqui comitati. Strenua virtus
Felices animas quam pulcra morte beatis
Manibus Eliſiis iunxit, nomenque reliquit
Aeternum terris, duraturum omne per aeuum!
Nec Lithuana cohors, lituis nunc peruia ſigna

Primi-

Primitus in Moſcos quae forti pectore duxit,
Praetereunda venit, validis tot corde, manuque,
Plena viris, quae, vaſtata felicibus auſis
Pro patria, intrepidi primum certamina inibant,
Impenſiſque ſuis externum militem in hoſtes
Aequis ducebant gradibus, tot millia paſſim,
Cunctaque Moſcorum proſtrarunt agmina mille.
Praefuerant choreae, quibus haec gens freta cadebat,
Innumeri, qui nunc per iugera lata putreſcunt;
Innumeri, qui nunc liquidis verſantur in vndis.
Conſuluere ſed hinc pauci fugiendo ſaluti,
In denſis qui ſe ſiluis, altaque palude,
Attonitis ſimiles ceruis auibuſque, recondunt.
Quaeruntur tamen ad poenas: nec ſilua, paluſue,
Securos faciet. Numquam periuria inulta,
Perfidiaeque manent: Superos haec crimina tangunt.
Quid ſtatuet victor iuſta Sigmundus in ira,
Rex armis bene perdoctus victricibus vti,
De vobis tandem ſine relligione Ruthenis,
Qui Moſcis vltro prodidiſtis Regia caſtra,
Immemores fidei, periuri? Non procul, ecce!
Ecce! venit, multo comitatus milite, voſque
Obſidione cito trepidos, ſeroque precantes
Indignam veniam, capiet, digniſque receptos
Suppliciis dabit, et Stygias demittet in vndas.

Ferte faces, pueri: celſis de turribus ignis
Luceat, et laetus feriat modo ſidera clamor!
Victori quiſquis Regi, clariſque ſub iſto
Tempore militibus, per quos victoria parta eſt,
Gratetur. Nihil hoc viderunt ſecula priſca
Tempore felici felicius: omnia gaudent,
Omnia et exſultant, laetantur et omnia. Talis
Poſt tenebras, et poſt longos Orionis imbres,
Poſt rigidum Boream, tempeſtateſque furentes,
Mens ſolet in placido defeſſis aequore reddi,
Qualis nunc cunctis animus datur. Ocius ergo,
Vt ſors fert, omnes linguis animiſque fauete!
Dulcia qui ſequitur formoſae caſtra Diones,
In gyrum ducat dignum modulando choreas
Victori carmen, patrio pro more: viciſſim
His iuncti, quibus eſt cordi Semeleïus Euan,
Spumantes pateras pro Regis ſaepe ſalute
Excipiant, proque illorum, qui gaudia nobis
Haec praeſtant, vt quiſque poteſt, gratetur. At ipſe,
Quos ſubito potui numeros conflare calore,
Excudi, tanti teſtes vtcumque triumphi.

DE PROFECTIONE SIGISMVNDI I. REG. POLONIAE POST VICTORIAM CONTRA MOSCOS IN HVNGARIAM SILVA

Inſerta eſt primum *Ricardi Bartholini* Hodoeporico, Vindobonae An. 1515. typis excuſo, p. 38. dein *Marqu. Freheri* Script. rerum Germ. T. II. p. 630. Sigillatim prodiit Cracouiae, An. 1516. quaternis. Conf. *Ianoſcius* l. c. p. 77 ſq.

Enumerat vaſti luctantes aequoris aeſtus
Nauita, per Syrtes, aut ſaxa Ceraunia vectus,
Incolumis poſtquam rediit; ſua praelia miles,
Aeratas acies, et tot per vulnera mortes,
Saluus, poſt cladem proſtrati differit hoſtis.
Venator ſiluas, ſaltus, et luſtra ferarum,
Et pedicas, ſtructaſque plagas, et retia ceruis
Protenſa enarrat. Longis peregrinus ab oris,
Cur ego non referam rerum varioſque viarum
Anfractus, quos inuicto cum Rege Polono
Ambiui? et Scythico quod ab vſque Boryſthene ductus
Hactenus, ad ripas, celeri quas alluit vnda
Abnobiis Iſter labens ex montibus ingens?
Quaenam cauſſa viae primum, quis tractus, et vnde,
Dicite Pierides, (nec enim ſine numine quidquam
Vos dixiſſe reor,) Clarius dum ſpirat Apollo.

Inclitus Arctoo Rex quum ſub ſidere caeli,
Heroum Sigmundus honos, ſuperauit ad Orſcham
Moſcorum infidos populos: vt foederis icti
Diſrupere fidem; tandem vt ſunt vndique fuſi,
Fama quidem nota eſt, a Gadibus vſque ſub Eurum.
Pannoniae ſenior iam Rex effoetus, et aeger,
Ex mediis illum caſtris reuocauerat ad ſe:
Fraterni vis tota in eo pendebat amoris.
Dulcibus hunc voluit ſupereſſe nepotibus, hiſque
Conſeruatorem fieri, robuſtior aetas
Creſceret ad Regni moderandas donec habenas.
Paruit, atque vltro, cuneis turmiſque relictis,
Ante Boryſthenias rurſum quam ceperat arces,
Vtque ſolet, citius proceſſit magnanimus Rex.
Noluit in tanto quamuis diſcrimine rerum
Fratri deeſſe ſuo, tandem quem viſere fati
Ante diem extremum voluit. Sic concitus ergo,
Non pertaeſus iter, non tempora dura, nec acres
Dum glacialis hiems Aquilonibus aſperat auras,
Protinus ex Vilna Lithuanis ſoluit ab oris.
Ventum erat ad Gracchi (quae nunc Cracouia fertur,)
Moenia: paullifper remoratus, liquerat illic
Reginam, grauida Regni quae pondus in aluo
Geſtat adhuc, cuius leuis exſpectatur in horas,
Dii faxint fauſtum! partus, ſubitoque receſſit.

Sle-

Sleſiacis primum piſcoſis adpulit aruis.
Quidquid ibi lacus eſt, et ibi via lubrica eundi
Limoſam per humum; venit obuius illico claris
Dux Caſimirus auis genitus Teſſnenſis, et illum
Regali luxu, dignoque in honore recepit.
Attigit hinc fines, vbi Praeſul Thurſo Morauus
Praeſidet eximius, qui relligione ſecundus
Eſt nulli, pietate nec eſt in rebus agendis.
Hoſpitis hic etiam manifeſto pectore tanti
Aduentu gaudens, obiter proceſſit, eumque
Excepit, memor illius primordia vitae
Eſſe ſuo in Regno; quare impartiuit honores,
Quos potuit, cunctos recte officioſus ad vſus.
Poſt iter ad montes emenſum: nubilus Auſter
Aethere concretos ex toto ſoluerat imbres,
Contexitque ſolum: teneras cum floribus herbas,
Qui ſeſe ſenſim radios ad ſolis iniqui
Extulerant, hieme adfecit: nec inertia ſolum
Germina reddiderat, verum penetrauit ad vſque
Membra virûm. Tamen a concepto nulla mouebat
Tempeſtas Regem, rigidi inclementia caeli,
Abruptaeque viae: nec enim iuga celſa, nec vlla
Obfuit intento res, quo minus iret in omnem,
Vt ſolet, euentum propere. Conceſſit ad oras
Sic tandem Hunniacas, quo ſe Tirnauia late

Diſpoſuit. Venit illuſtris Georgius illuc,
Germana ex Regis genitus, non Hectore certe
Inferior : ſi quis vel Marte, aut viribus illum
Prouocat, acer init, detrectat denique nullum
Certamen, reſidens, procerus corpore toto,
Gradiuo cataphractus equo. Praeceſſit in armis,
Spectatu pulcrum! multos pulcro agmine Princeps.
Venit et Antiſtes, numeroſo milite cinctus,
A templis magno decoratus nomine quinque,
Quem tulit ad tanti praelatum culmen honoris
Nuda fides, probitas, virtus, reuerentia Diuûm,
Et facile ingenium, rerumque ſcientia multa.
Hic collega Ducis Regem, ſub nomine Regis
Pannonii, excepit; pariterque ad verna citati
Littora Danubii duxerunt, arcte vbi parua
Eſt ſita Poſonium, non longe a littore, nota
Quondam, nunc toto quae nomen habebit in orbe.
Poſtquam narratum eſt propius veniſſe Polonas
Hinc atque hinc acies, pulcras et in ordine turmas:
Rex Vladiſlaus carpento protinus aeger
Obuius in campum, tenero cum Rege, profectus,
Heroum magnâ ſtipante vtriuſque caterua
Regni, exoptatum iam longo tempore fratrem
Excepit coram, verbiſque adfatus amicis,
Regali paruam pompa deduxit in vrbem.

Hacte-

Hactenus ex Scythia, Moſcorum clade peracta,
Totque equitum peditumque globis, caſtriſque relictis,
Peruentum. Solum fraterno ductus amore,
Viſendique etiam ſtudio, ſi forte futurum eſt,
Caeſaris, vt Chriſti fieret pax vna per orbem.
Huc igitur Langus, tectus rubro ora galero,
Adpulit, ingenio multum verſatus, et arte,
Reſque gerit cunctas, a Caeſare miſſus ad iſtos
Legatus Reges. Noſtrae ſi verus amator
Religionis erit, ſiquidem eſt, non ambigo, verus:
Contra ſchiſmaticos templi dabit arma rebelles,
Et contra hos, noſtri ſitiunt qui ſanguinis vndas,
Crudeles Turcas, nuper Sarnouia ad arua
Ingenti qui Chriſticolûm ſparſere cruorem
Clade, domi donec perplexa negotia aguntur.
Sin aliter: totum nunc paruo fomite mundum
Incendet. Tenet ipſe ſinu pacem armaque eodem.
Si quiſquam, quem Martis amor, quem feruor habendi
Exagitaret, in his forſan decernere rebus
Deberet: res acta foret. Iam praelia dudum,
Per maria ac terras, inſano turbine adeſſent.
Sed pater omnipotens, mundi cui machina curae eſt,
Talia, ſcit, cuius ſtudio committere debet:
Commiſitque tibi, Praeſes venerande, tibi, inquam,
Qui fidei, et decus es Romani dulce Quirini,

Cardi-

Cardineique chori ſpecimen. Tu bella profanis
Decertata odiis, iras dudumque repoſtas,
Et clandeſtinas remoue de pectore rixas
Primorum Chriſti procerum, diſcordiaque vni
Pectora. Nil poteris Superis, nil denique terris
Gratius efficere. En! coniurant monſtra profundi,
Thrax ferus, et Macedo, Maeotidis accola et Iſtri,
Nauiculam in Petri, quae mergitur obruta paene,
Vndique fluctiuagis per mille pericula in vndis.
Eripe, namque potes, miſeratus: te duce tandem
Aeolus immodicos reuocabit ab aequore flatus
Mitior, et clauſis fera flamina condet in antris.
Serpit ab extremis vt virus in intima membris,
Vique leni penetrat ſenſim praecordia, donec
Occupat in toto quodcumque eſt corpore; flamma
Vt ſolet exardens in tectis tollere, quidquid
Contingit propius, paſſim graſſata, parumper
Obuia conſumit, creſcitque valentior ignis,
Liberius quum iam furit, et bacchatur aperte,
Nil manet intactum: ſic dudum Thracius hoſtis
Abſtulit, at ſparſim, (pudet enumerare,) tot agros,
Oppida, caſtra, vrbes, et regna tot inclita quondam:
Nititur vlterius, miſerandum! Nemo reſiſtit.
Huc Aquilas, Anguem, Gallum, fuluumque Leonem,
Hibernumque trucem, diti cum Rege Britanno,

Et

Et qui ſe Solymae titulis, Zonaeque peruſtae,
Extollunt, defer; Germana potentia vires
Hic, precor, oſtendat: non deerunt Sarmata et Hunnus,
Adſidue ducunt multis qui praelia ab annis
Martia tot contra Machometis caſtra tyranni.
At quoniam proprio contendunt Marte viciſſim
Nunc aliqui, quos relligio deuinxit ad arma
Regis in oſores, qui mortem morte fugabat,
Riſus, ſputa, alapas, flagra, clauos paſſus, in alta
Pro nobis furca extenſus: quam nemo tuetur,
Saluifici labefacta cadit reſpublica Chriſti,
Fitque minor ſic, et cunctas decreſcit in horas.
Quid contra paucos, quorum furor vrget Enyus
Diſcordes animos, credis nunc poſſe tot hoſtes?
Imperium quorum ſubiit tota Africa, et ingens
Pars ſimul Europae, atque Aſiam qui ſub iuga dudum
Miſerunt, et qui toto dominantur in orbe.
Munitae nihil his celſis in montibus arces,
Nil vrbeſque obſunt: vites populantur et agros,
Abducuntque homines. Nec enim munitio prodeſt,
Deſertis poſtquam ſulcis non ſemina dantur.
Vertite dira procul, Superi. Niſi rebus in iſtis
Vnio nunc fiat: Byzantia peſtis, et Iſtri
Euxinique lues, Petri corrumpet ouile.
Hoc prohibere potes ſolus, pater alme, futurum.

In-

Inſtantes exſtingue faces, ne fortior ignis
Poſt contemnat aquas: primis his motibus obſta!
Hoc pietas, iurata fides, hoc ſuadet honeſtum:
Vtile erit cunctis, qui Chriſti nomen adorant.
Ne te ſeducant, magni nec Caeſaris aures
Tot querulis deinceps precibus, vel munere, vincant
Hi, qui bella fremunt, et numquam bella capeſſunt
Aduerſus fidei tot tela minantia noſtrae.
Omnia vi quondam male dum conceſſa tenebant
Faſtu ſub tumido, et ſub cuncta licentia agebant
Immodica, nullamque prius confinia pacem,
Ad quam deuincti fuerant, habuere: ſub armis
Gentiles ſubiere domus, vicinia late
Vaſtantes. Teſtis locus eſt, nunc Abiete nomen
Qui tenet, ingenti eſt quod nactus clade perenne.
Nunc etiam poſſent tranquillo viuere luxu,
Deliciiſque frui, prout conſueuere: viciſſim
Sed Stygiis emerſa vadis ſic verſat Erynnis
Illorum mentes, vt ſummo a Praeſule bellis
Decretis obſint contra Machometica caſtra,
Votaque quod tantis faciant diſcordia coeptis,
Inficiantque animos, ducantque in praelia mundum
Chriſticolûm. Quare Superi olim tempore priſco
Non caſtigarunt fruſtra delicta nocentum.
Sed feror in praeceps: quo coepi, rurſus eundum eſt.

Huc etiam domina legatus missus ab vrbe,
Cardineo summique patris suffultus honore,
Pannoniae Primas Regni peruenit: in isto
Conuentu multa ingenio, qui multaque fido
Commoda consilio pro Regni vtriusque salute
Disquirit, velletque libens succurrere rebus,
Ne sic infectis hinc Reges forsan abirent.
Namque videt prudens, per multa volumina rerum,
Tot mala, quae paruis sunt exorientia caussis.
Nunc igitur quamuis Labyrintho, quidquid agendum,
Fertur in ambiguo, quodamque errore laborant
Omnia: spes magna est cunctis, prudentia Regum
Istorum, tot Pontificumque Ducumque probata
Inuenta: hoc, quod adhuc vertent in dulcia, amarum est.
Sic lux post tenebras; aether post nubila clarus;
Saepius et sic post aduersa secunda sequuntur.
Quid referam innumeros proceres, heroas, et auro
Torquatos equites, huc qui venere, superbo
Regum in circuitu? quid equos, phalerasque rubentes,
Auratas chlamydes, pretiosa monilia, gemmas?
Hunnus quae diues, Moscorum ex clade Polonus
Quae tulit acer eques, fortis quae deinde Bohemus.
Enumerare prius possem, quot, Cynthia pleno
Dum fulget cornu, sint aurea sidera caeli;
Igneus et medio dum flagrat Phoebus in axe,

Quot

Quot ſeges omnis habet tenues per iugera ariſtas,
Quot ſparſim voluat, Libyco quae in littore, arenas
Auſter, dum tumido bacchatur turbidus aeſtu:
Singula quam tantae valeam ſpectacula pompae
Dicere, totque graues currus, rubraſque quadrigas,
Multaque, nulla prior quae viderat ante vetuſtas.
Nec ſolum tanti Martis, procerumque tumultus:
Venerat huc etiam doctorum clara virorum
Concio: de quibus huc a Caeſare miſſus ad iſtos
Cuſpinianus erat Reges orator, abunde
Doctus, et in variis verſatus rebus agendis:
Philyrides certe, vel noſtro tempore Chiron,
Et medica fertur praeſtans vt in arte Machaon:
Tam bene languori vario, morbiſque medetur.
Fotus et a teneris ſollers Sperantius annis
Aula in Caeſarea, nudae virtutis amator,
Ingenio promtus, multum facundus et ore,
Seu leges, vel iura patrum, vel carmina dicat.
Balbus item, Phoebi quondam, nunc rite ſacerdos
Et Iouis interpres veri, qui grandia facta
Hunniaci ſcribit Regni, totque edidit olim,
Quod ſua non potis eſt vmquam euaneſcere fama.
Piſo etiam, noſtro vir in aeuo doctus et acer,
Magnorum nuper qui multa negotia Regum
Tractabat: quodſi ſtricto pede, ſiue ſoluto,

Adgre-

Adgreditur quidquam, nil eſt exactius. Exin
Adpulit Hetruſco Ricardus ſanguine cretus,
Grandia qui cecinit Romani Caeſaris acta:
Egregius vates, tum notus primitus, et tunc
Saepius humana mihi conſuetudine iunctus.
Caſpar et inde meus, Calliſtus forte puellae
Vrſinus cognomen habens, aetate Tibullo
Et par ingenio, Graio et ſermone Latino
Imbutus, vates et praeco Caeſaris ingens:
Saepius hic culto certauit carmine mecum,
Leniuitque meos pertaeſo in corde dolores,
Quos cepi ſenſim tabeſcens taedio in iſto.
Candida iam noua ter rurſum ſua cornua Phoebe
Induit, Arctois procul hinc quod viuimus oris.
Omnia pulcra quidem ſunt, omnia amoena ſub iſto
Tempore: per montes, per plana vireta, per amnes,
Per vernos proſpectus agros it laetus: at ipſa
Iam mora ſola nocet nobis, mora ſola moleſta eſt.
Ergo veni tandem, Caeſar Romane: citatum
Aduentum Reges cupiunt tibi ſanguine iuncti.
Non ſolum tecum contra hoſtes foedus inibunt,
(Tu modo ne deſes toties videare morando;)
Sed tecum connubia, ſed laetos hymenaeos.
Moenia ſi Auſtriacae nunc ſunt adeunda Viennae,
Danubiuſque celer tranandus; ſiue locanda

Ad ripas campo castrensia tecta; in amico
Vel quocumque loco placeat congressus: ad istos
Accelera Reges propius! Iam tempus, et instans
Deposcit contra Moscos occasio belli,
Inque feros Turcas, qui nuper clade cruenta
Adfecere tuos Hunnos. Non segniter ergo,
Ergo veni, cupidisque tui te protinus offer!

Sic me etiam, modo te videam, nec adusque pigebit
Danubium a gelidis venisse Borysthenis vndis.

AD SIGISMVND. L. B. AB HERBERSTEIN EQV. AVR. ET MAXIMILIANI I. CAES LEGATVM DE REVERSIONE EIVS A MOSCIS SOTERIA

Typis primum vulgata Cracouiae, An. 1518. quaternis, et inſcripta *Iacobo Spigelio*, I. D. et S. C. M. Secretario: dein recuſa in *Sigiſmundi ab Herberſtein* Commentariolo, de actionibus ſuis, (Vindob. 1560. f.)

Sunt Superi, caelumque ſuo rectore moueri,
Quis, niſi mentis inops, cernens conuexa negabit
Aetheris? hoc tellus, aer, et pontus, et omne
Id, quod viuit in his, et quod producitur ex his,
Dirigitur, iuſto poſitumque ſub ordine, ſiſtit.
Huic certe eſt ingens haec orbis machina curae,
Qua genus humanum, genus et qua totum animantum,
Vitali pariter vegetando veſcitur aura.
Omnipotens ſator ille hominum, rerumque creator,
Cuncta ſuo regit arbitrio: nil accidit vmquam,
Quod non ante diu voluit diuina voluntas.
Ille tibi, Sigmunde, dedit, per tanta viarum
Interualla, animum inuictum, quo ſemper in omnem
Euentum, contra rerum diſcrimina mille,
Et caſus varios, iuiſti pectore forti.

Hoc Equitem decet Auratum: ſunt talia verae
Militiae, non quae rutilant inſignia collo.
Talia non aliter, quam cum ſudore, parantur.
Amphitryoniades haec geſſit, ad ardua ductus
Culmina virtutis, linquens, poſt terga, petulcae
Foeda voluptatis prorſus fugienda probatis
Caſtra viris. Iter eſſe reor, quod littera profert
Pythagorae. Vnde tui maiores ſtemmata primum
Sumſerunt, ex vi liquido cognominis, et re,
Elicitur. Quid enim ſaxum deſignat honeſti,
Virtutis ſiquidem culmen? Qui teque, tuoſque
Perpendit mores, et nuper ſtrenua geſta,
Ille ſtatim, et merito, te illius dicet alumnum.
Hoc animaduertens Caeſar Romanus, in orbe
Primus, poſt Superos, nudae virtutis amator,
Te ſubito meritis titulis et honoribus auxit,
Teque ſuis, poſtquam rediiſſet ab orbe Britanno,
Praefecit contra Venetos; vbi Marte ſecundo,
Cum Comite ex Salmis, ſtrauiſti fauſtiter hoſtes:
Vnde tibi torquem, et faſces donauit equeſtres.
Hinc te, poſt varios habitos hinc inde labores,
Ad Regem miſit, qui Danica regna, Gothorum
Olim dicta, regit. Qualem te geſſeris illic,
Intrepido poſtquam congreſſus es ore, neganti
Pacta ſemel, late magni ſcit Caeſaris aula.

Quanta mari paſſus, quam multa pericula terris,
In reditu, quantumque iterum diſcriminis, acres
Miſſus ad Heluetios, quum fluctibus obrutus eſſes
Paene lacus, longam, ſi conor cuncta referre,
Creſcet in hiſtoriam. Diuo pro Caeſare, ſemper
Omnia magnanimo patienter corde tuliſti.
Adiecit plus inde tibi non ficta fauoris
Caeſarei virtus; accreuit et inde ſupellex
Ditior, et mentis generoſae induſtria maior,
Multa gerendarum rerumque peritia, et vſus.
Vnde feros cupiens belli ſedare tumultus,
Inter Sarmatiae Regem, ſaeuumque tyrannum
Moſcorum, Caeſar mediis in millibus vnum
Te ſolum offendit, cui tanta negotia ſoli
Crederet. Expertus ſeruatam in rebus agendis,
Cum probitate, fidem, ſtudia indefeſſa, profundi
Ingeniique tui vires, rationis et alta
Senſa tuae, ſimul et complura idiomata, dotes
Praeterea innumeras animi, te miſit ab oris
Vindelicis, per pulcra Lici, magnique ruentis
Littora Danubii, piſcoſus vbi Iſtula lenes
Voluit aquas, vſque ad Lithuanae ditia terrae
Iugera. Ibi Regem Sigmundum, milite multo
Tendentem in Moſcos, orator gratus adiſti.
Qui te, pro magno magnum quo Caeſarem amore

Proſequitur, digno venientem excepit honore,
Et te, Caeſarea poſtquam de mente fuiſſet
Ingenue edoctus, per laeta Boryſthenis arua
Dimiſit, multo donatum munere, ad vſque
Vaſtas Moſcorum terras. Per deuia ductus
Et nemora, et ſiluas, et per tot luſtra ferarum,
Perque lacus, et per tot flumina, perque paludes,
Veniſti tandem lignorum mole peramplam
Vrbem, quo ſtatuit periuro pectore Moſcus.
Quot perpeſſus ibi torpentis taedia vitae;
Quot duros pariter caſus, atque inter eundum
Euentus ſubitos, diſcrimina multa, viarum
Anfractus varios, incommoda, mille labores,
Quis referet? Non parua Lici diſtantia habetur
Ad Tanaim, quam tu tranſiſti ſoſpes, ibidem
Multa expertus, agens mandata fideliter. In te
Nil penitus deerat; per te nil eſſet omiſſum.
In fatis ſed adhuc res haeret; fataque rebus,
Iuſtitiaeque viam facient. Gens barbara noſcet,
Non conſueta fidem, Superos, hominesque vereri,
Perfidiam numquam vindicta impune manere.
Quamuis immotos, memoranda clade ſub Orſcha
Se ſimulent; vafri tamen imo corde dolores
Abdere non poſſunt. Non eſt magis vlla ſub armis
Spes, poſt hanc cladem. Cur non confligere nuper,
Con-

Concluſi tot aquis, et putri conditi in vlua,
Audebant, ſat cauſſa liquet. Sic vrſa recondit
Se penitus ſiluis, foetu poſt terga relicto,
Dum vidit venabulaque, magnamque canum vim;
Quo perculſa metu, noctes vigilando, dieſque,
Non auſa ex latebris ſugendo accumbit in vngues.
Tempus erit, Superique dabunt, et rector Olympi,
Qui iuſtos et iuſtitiam non deſerit vmquam,
Quo poenas, pro perfidia, dabit improbus hoſtis,
Cumque ſuis, quantum Lithuana Polonaque poſſunt
Agmina, complicibus miſere experietur. Adhaerent
His forſan, quos relligio vetat alma: ſed iſtis
Si non deſiſtent, crimen quam ſit graue, Diuos
Laedere, et aduerſus iuratum tendere pactum,
Exitus ipſe feret. Poſt tandem taedia longa,
Et tot perplexos ſucceſſus, inter agendum,
Longinquum permenſus iter, per luſtra, per amnes,
Barbarie ex media, noſtris feliciter oris
Adplicuiſti: etenim cunctis grátiſſimus hoſpes.
Te Rex, te Regni Proceres, te concio tota
Regnicolûm, laetis oculis et pectore, ſaluum
Aduenisse, lubens gratatur; apertius vnde
Exciti, viden', adfectus in Caeſarem, amorem
Regis teſtantur: cuius tu nomine pulcrum
Nomen habes: nec enim ſine numine credo Tonantis

Hoc fieri, pariter quod eodem nomine haberis
Cum Rege orator, cum quo ſpectacula nuper
Vidiſti parilis, varia ſub ſorte, duelli,
In quo Sambocius, virtute animatus, honorem
Et vitam adſeruit, praeſtanti pectore, et ore
Intrepido: pedes amiſſo iam ſonipede, clarum
Egiſſet facinus, ſi non ablata fuiſſet
E medio haſta: tamen paruo mucrone ſat actum eſt.
Et quia conſtanter commiſſa negotia agendo,
In tam longinqua et dura regione fuiſti,
Inter inhumanos mores, gentemque profanam,
Nullius fidei, detentus tempore longo:
Tot poſt aerumnas, exantlatoſque labores,
Non ingratus erit tibi Rex: pro Caeſare rurſus
Nil ſibi vel durum, vel difficile, atque moleſtum,
Dum res et ratio depoſcet, in orbe futurum eſt.

Ipſe ego te, rediens etiam paullo ante, ſaluto,
A Batauis, vbi eram cum Caeſare, cumque nepote
Illius, Heſperiae qui regna ſuperba gubernat.
Interea, ex quo liquiſti tecta alta profectus
Diuitis Auguſtae, te non, procul ipſe remotus,
Vidi. Nunc quid enim potuit mihi gratius orbis
Viſendum, quam te, cupienti oſtendere dudum?
Haec igitur, quae pro reditu Soteria voui,

Dono tibi: faciles non dedignare Camenas,
Ad te, praecipiti curſu, properanter euntes,
Pro reditu quae vota tuo promiſſa, preceſque,
Thuraque diſſoluunt Superis, multumque precantur,
Vt redeas felix, et terque quaterque beatus,
Vnde exiuiſti, Romani ad Caeſaris aulam.

Si quis erit noſtro magnus fortaſſis in aeuo
Maeonides, fies Ithaco plus notus Vlyſſe.
Tuque hominum varios mores, varios hominesque,
Multaque vidiſti, vectus per regna, per vrbes,
Non per luſtra duo, ſed per breue tempus, ad annum.
Materiam inde dabis Muſis, campumque patentem.

Aſt ego, perpetuo qui te complector amore,
O Equitum, Sigmunde, decus, conflata calore
Haec ſubito, mecum ſiquidem retinere nequiui.
Da veniam paucis, tibi poſtea plura dabuntur.

IN

RICARDI BARTHOLINI

HODOEPORICON MATTHAEI EPISC. GVRCENSIS

Exſtat in *Bartholini* Hodoeporico, et in *Freheri* Script. Rer. Germ. l. c. pag. 613.

Quantum res verae fictis praeſtare videntur,
Hoc recto doctum tramite pandit opus.
Non hic Cretenſis Iouis incunabula: non hic,
Quae ſunt de Superis plurima ficta, leges:
(Semicapros Faunos, Satyroſque fuiſſe bicornes,
Quis credit? vel tot turpia monſtra Deûm?)
Non raptum Stygii praedonis, Apollinis ignes
In Daphnem, Martis nec Veneriſque torum:
Non Diomedis equos, non illum, Graecia mendax
Quem fert Troianas fraude ſubiſſe fores.
Hicque nec inuenies perplexa aenigmata Sphingos,
Nec quae de nihilo fabula longa datur.
Hiſtoriam nuper conuentus at iſte probatam
Caeſaris et Regum fecit in orbe trium.
Vidimus hic Annam, qua totus nil habet orbis
Pulcrius: Hunniaci eſt haec decus vna ſoli.

Hanc ſibi, vel caro conſeruat forte nepoti
Caeſar: et eſt magno digna puella Ioue.
Vidimus et Mariam, pulcris aequanda Deabus
Eſt ſiquidem, et primas inter habenda Deas.
Caeſaris haec neptis, Regi Regina futura eſt,
Annis qui in teneris iam duo regna tenet.
Vidimus Heroas ſacros, Proceresque, Duceſque,
Clarorum paſſimque agmina multa virûm:
Tot gemmas, torques, phaleras, radiantiaque arma,
Tot mores, habitus, ingeniique vices:
Tot ludos etiam, ſpectacula pulcra, triumphos,
Et quae non aetas viderat vlla prius.
Cuncta vt conſpexit Ricardus, ſcripſit ad vnguem:
Delicium certe poſteritatis erit.
Seu ſtricto incedit vates pede, ſiue ſoluto
Orator: nemo cultior eſſe poteſt.
Hoc iter vt duxit Princeps Gurcenſis ab vrbe
Auguſta, videas, geſtaque cuncta leges.
Tunc primum dices, viuas, pater inclite, viuas;
Cardinei ſpecimen, viue, decuſque chori.
Et merito laudes vni huic ſunt vndique dandae:
Omnis nam fuerat fons et origo boni.
Solus hic inflexit ſenſus, Regumque potentum
Pectora, multorum cordaque dura virûm.

Chriſticolis ſolus, diuino numine fultus,
In terris pacem poſt fera bella dedit.
Huic aetas debet praeſens, et poſtera multum,
Tempore quod paruo commoda magna tulit:
Per quae nunc noſter recte componitur orbis,
Ex omni cedit parteque Martis amor.
Et crucis infidos propere ducetur in hoſtes,
Qui, Iouis hinc quid ſint, experientur, aues.
Foederis hic formam noſces, pactoſque hymenaeos;
Cunctaque conuentus iſtius acta ſcies.
Nil ſinit intactum veri, quod res habet in ſe:
Ante oculos plane ſingula geſta locat.
Res ſcitu digna eſt: nec enim reor eſſe, poteſt nec
In toto quidquam gratius orbe legi.

AD
RICARDVM BARTHOLINVM

Hoc quoque carmen editum iam eſt in *Bartholini* Hodoeporico, p. 48. et in *Freheri* Script. l. c. p. 635.

Si rerum penſare vices libet, ordine certo,
Quas natura parens ſtatuit, Ricarde: videmus
Omnia ſub iuſta moderari lege, modoque.
Aſtra ſuos ſeruant, quos conſueuere, meatus:
Seruat vterque polus ſolitum, quo voluitur, axem:
Seruat et haec ingens immenſi machina caeli
Circuitus, quibus hunc in ſe complectitur orbem:
Phoebus ab extremis, vt dudum, emergitur Indis,
Et Tarteſſiaco ſe rurſus in aequore condit.
Ipſa ſuo pleno Latonia tempore cornu
Fulget, tranquille per opaca ſilentia noctis,
Illuniſque etiam paruum decreſcit in orbem,
Et perit, atque redit: numquam ſtata tempora fallit.
Annus habet glacies, habet aeſtus, veris amoeni,
Autumnique grauis pluuias: ſua tempora tempus
Quodque tenet: ſunt ſorte ſua contenta viciſſim
Omnia, nec fines, et littora praeterit aequor.
Deucalionis aquas olim, Phaethontis et ignes
Suſtinuit tellus: ſunt omnia tuta, fidemque
Nunc elementa datam nobis, poſt Iridis arcus,

Non

Non temerant: fateorque, animantia cuncta, ſub vna
Quae viuunt ſpecie, vnanimi ſunt foedere iuncta.
Non aper in ſimilem per ſiluas irruit aprum;
Vrſus in atrocem ſaeuit non efferus vrſum;
Nec draco in Heſperium miſſo furit igne draconem.
Solius eſt hominis, quamuis animantia longe
Innata exſuperat ratione, ferocia maior.
Omnes armorum ſtrepitus, Martiſque tumultus,
Quaeque vides tormenta, ſudes, thoracas, et haſtas,
Tela, enſes, frameas, arcus, volucreſque ſagittas,
Contra homines effinxit homo: meditatur in horas
Pluraque, queis poſſit per plurima damna nocere.
Per maria, ac terras, per multa volumina rerum,
Itur in anguſtum diſcrimen, et omne periclum,
Inuiſae ſaltem rumpantur vt otia pacis.
Sic ardor multos, et habendi dira cupido
Verſat, pertaeſos tranquillum viuere: ſemper
Quin agitant quidquam, Superis terriſque peroſum.
Hinc tot bella, acies, caedes, deſertaque rura,
Oppida, diffractaeque vrbes et inania regna,
Et campi toties diſperſis oſſibus albent.
Tales, qui totum duxere in proelia mundum,
Hortare ad pacem: nec opus calcaribus eſſe
Cenſeo equis, vltro properantibus. Ille profecto
Non monitoris eget, placidae qui pacis amator

Sedu-

Sedulus eſt, et qui pacem depoſcit, et optat,
Inclitus a multis, Sigmundus, fauſtiter annis.
Pacis amans, vltro numquam, ſed ſemper in hoſtes
Arma laceſſitus ſuſcepit; non tamen vmquam
Contra Chriſticolas, verum in crudelia caſtra,
Boſporon, et contra Myſoſque, Getaſque, Scythaſque.
Hunc igitur, cuius terras ſpatioſaque regna
Parrhaſis Arctos agit per Balthea littora magni
Oceani, prope ad Euxinum diffuſius aequor,
Vt noſcas, quantum pacem deſideret omni
Pectore, ni graue ſit, paucis, aduerte, docebo.

Sleſiacis primum, regnum germanus habebat
Donec Alexander patrium, Dux iuſtus in oris,
Iuſtitiam, ſolet vt ſemper, librabat in aequis
Lancibus, et cunctis iuſte impartiuit eamdem.
Nullus erat praedo, nullus graſſator in antris:
Per ſtratas, omneſque vias, per compita, paſſim
Ibat ſecurus tranquilla pace viator:
Vndique cunctarum fuerat pax optima rerum.
Non ſentit praeſens, hoc poſtera ſentiet aetas,
Quantum conſilio, quantumque ſalubribus actis
Profuit, et poſt ſe quam commoda multa reliquit.
Quum frater demum fato conceſſit ad aſtra,
Conflato regnum grauiter qui adfecerat aere,

Vnanimi Procerum consensu sceptra recepit.
Orsus vt instantes vix restaurare ruinas
Rex nouus, infida propere Dux fraude Michael
Concitus, ad Moscos defecit, turpiter hostis
Factus: eos secum Lithuanas duxit in oras.
Haec paci intentus Rex vt cognouit: omissis
Omnibus in regno, velocius obuius ibat.
Inde citum permensus iter, mox ipse, priusquam
Fama aderat subito, Moscosque Ducemque fugabat,
Pone sequens victor, per lata Borysthenis arua.
Princeps hinc Scythicus bellum exitiale timebat.
Perculsus pacem orandam, deponereque arma
Censuit: ad Regem legatos munere multo
Transmisit: supplex veniam pacemque poposcit.
Foedera Rex pepigit: generosi pectoris irae
Sunt siquidem faciles, et mens ignoscere lapsis
Supplicibusque solet leuiter regalis: habent nam
Dîs animos similes Reges, et pectora, magnis.
Limitibus demum positis et finibus orbis
Sarmatiae, aeternum fuerat vulgata per omnes
Aequoris et terrae positus pax inter vtrumque.
Quae tamen, vt referam, paullo post fracta, Scytharum
Foedifragûm vt mos est, grauiter non mansit inulta.
Ad regnum rediit, iam credens omnia tuta,
Heroum, Sigmundus, honos, pacemque repostam

Mili-

Militibus miſſis, erexit, et otia cunctis
Libera diſtribuit. Taedae ſubiere iugales,
Quaerere quas voluit Germanis forſan in oris.
Perfidus interea Valachus, cui Myſia paret
Inferior, dum Rex ſperat laetos hymaenaeos,
Fraude Leopoliam multis obſederat vrbem
Agminibus, late Podoleis caſtraque in aruis
Omnia depopulans ſtatuit, per tela, per ignes.
Sic choreas, dulceſque iocos, et coepta fefellit
Gaudia. Rex igitur, prudens vt ſemper ad omnes
Res ſolet eſſe graues, nihilo demiſſior, vno
Spectatur vultu, ſint triſtia, ſiue ſecunda,
Millia confeſtim collegit multa ſuorum,
Haecque inſpectatos propere dimiſit in hoſte.
Hoſtis vt haec ſenſit, retro fugiebat ad arces,
Quas habuit proprias, ad ſiluas, atque paludes,
Non auſus conferre manus. Gens regia late
Terga ſequebatur, totque oppida, caſtra, caſaſque
Exuſſit, longe ſaeuum populata per arua
Myſia, tot Ducibus captis, Procerumque cateruis,
Poſtremo rediit ſpoliis illaeſa ſuperbis.
Et niſi germanus ſenior, qui ſceptra gubernat
Pannoniae, rem pacaſſet: iam Myſia tota
In cineres pro perfidia conuerſa iaceret.
Hinc Valachus veniam vt petiit, captoſque redemit,

Res eſt ſub caelo vix, credo, notior vlla.
Sic iterum dura laſſatus caſſide victor
Pectore voluebat, poſitis grauioribus armis,
Pacem, qua totus nihil orbis gratius in ſe
Continet: Hunnorum praeclaro ſtemmate, pulcram
Reginam duxit, ratus hinc ſecurius annos
Dulciter exigere, et regno, dum fata vocarent,
Heredes patrio tum poſt ſe linquere. Vertit
Omnia ſors aliter. Mouit furialis Erynnis
Hippophagos Nomades, gelida Maeotide ſeptos.
Hi clandeſtino, ſub verno tempore, greſſu,
Praeter ſpem, innumeri regnum inuaſere Polonum.
Vt ſueti rapido tranſire per omnia curſu,
Millia multa hominum, matres, vetuloſque parentes,
Reptantes pueros, iuuenes, teneraſque puellas,
More ſuo iam nexerunt, miſereque ligarunt,
Occiſis multis: iam iamque abducere longe
Coeperunt. Tum Rex ſubitis et rebus in arctis
Congeſſit turmas equitum, peditumque cateruas,
Quas potuit, iuſſitque ſequi velociter omnes.
Ventum erat ad cuneos, ſpoliis praedaque refertos:
Qui nil ceſſarunt contra confligere, magno
Quin etiam clamore dabant ſua ſigna volentes,
Parte ab vtraque ſtatim, niſu et conamine toto,
Bellatum: Fortuna diu ſtetit eminus anceps.

Verum

Verum quam cito ſe gens regia cominus hoſti
Intulit, et volucres detorſit ab aure ſagittas,
Terga dabant Nomades. Ibidem bis dena Getarum
Millia trunca iacent. Abducti, ſicque ſoluti,
Ad patrios tandem ſalui rediere penates.
Pax iterum fuerat, ſed paruo tempore, cladem
Poſt iſtam, donec periuro pectore Moſcus
Sacramenta, fidem, iurataque foedera rupit,
Adiunctis belli ſociis, qui templa Quirini,
Romani obliti templi, adiunxere profanis,
Se hoſtibus, et Regem conſpirauere (nefandum!)
Contra Chriſtocolûm. Sed Dîs ſunt omnia curae.
Hi non permittunt Titanas Pelion Oſſae
Iungere, conſilia et numquam tam dira ſecundant.
Qualiter hoc bellum confectum, ſcribimus, omnemque
Hiſtoriae ſeriem: quodſi mihi vita manebit,
Verſibus innumeris conſcriptum vtcumque videbis.
Hoc obiter tamen eſt addendum: quinque carina
Myriades Stygia Charon vna luce recepit
Moſcorum: primoſque Duces, primoſque ſenatus
Principis infidi captos Sigmundus in arcto
Carcere habet, qui compedibus duriſque catenis
Deuincti, pro commiſſo dant crimine poenas.
De reliquis bello ſunt nobilioribus iſto

In viuis, ſiquidem plus quam duo millia capti.
Sponte nocet nulli, niſi proritatus, abunde
Contentus propriis: ſua quae ſunt, cuique relinquit:
Parte ſed ex omni fines et parta tuetur.
Sique laceſſitus, quantoque citatur ad arma:
Velox egreditur, munitus milite forti,
Et, duce iuſtitia, ſuperat, ſemperque triumphat.
Nunc quamuis victor tot grandia bella peregit,
(Victores inflare ſolent res ſaepe ſecundae,)
Non renuit tamen haec ineundae foedera pacis,
Ex mediis ad quae caſtris huc venit, omiſſis
In tot proſtratos armis victricibus hoſtes,
Pace frui cupiens, interque capedine longa
Metiri, a gelidi ſit quanta Boryſthenis vndis
Danubii ad ripas diſtantia, pacis amator
Hactenus ad pacem ex regno praeceſſit habendam:
Non tamen, vt prorſus iam ſegnis bella timeret.
Sunt vires, eſt mens, genteſque ad proelia multa:
Sed contra inuitus gentiles ſuſcipit arma
Chriſticolas, quos tot bellis defendit, et illos
Infidis ſemper tutatur ab hoſtibus. Ergo
Parte libens iſta confecta in pace maneret:
Quam ſi quis temere iniuſtis conabitur auſis
Rumpere, quae nollet tandem cogetur inire
Bella laceſſitus, ſua ſic et parta tueri.

Hos igitur cum complicibus, quos ardor habendi
Arietat, hortare ad pacem, concordia rerum
Foedera: confuſumque chaos compage ſoluta
Hos docta et longa doceas ambage, vel illos.
Si pacem penitus nolunt, gaudentque ſub armis:
Iſta cothurnato compelle ad praelia verſu,
Quae nunc pro Chriſti ſi quiſquam vellet amore,
Depoſitis inteſtinis a pectore rixis,
Inſtant praeclaris ad commoda tempora bellis.
Sunt etenim, huc ducas tam multo Marte furentes,
Dum Sophus in Turcas immania claſſica ducit,
Quem nuper tota fudit cum gente, morandum
Non eſſet ſiquidem: nunc poſſet Graecia vinci,
Et Conſtantini Byzantia moenia magni,
Thracia tota iugum, Trapeſunciaque arua ſubirent.
Inde Palaeſtinae tellus promiſſa ſacratae,
Memphis, Perſis, Arabs, Babylon, ſacra culmina Sinae,
Totus et vſque nigros mundus caperetur ad Indos.
Rex Sigmundus adeſt, diuini nominis atris
Hoſtibus infenſus: contra illos foedera iunget,
Sint modo, qui accipiant: non detrectabit in omnem
Euentum, contra Mahometica pergere caſtra:
De quibus vnanimi, Dii faxint, pectore iuncti
Belliger vt magno Caeſar cum Rege triumphet!

AD SIGISMVNDVM L. B. AB HERBERSTEIN EQVITEM AVRATVM

Legitur in *Dantiſci* Soteriis, Cracouiae editis: item in *Herberſteinii* Commentariolo, de actionibus ſuis, ſupra laudato.

Quod cecini quondam Grinaeae triſtis, in Aeni
 Littoribus, moeſtum carmen habere cupis.
Quidquid id eſt, concedo libens: nec carmina ſolum,
 Hanc etiam, mecum ſi foret illa, darem.
Decreui tandem quae quadret, ducere vitam
 Aetati, et caſtus relligioſa ſequi.
Eſt hominum inſtabilis fluxus, periturus; at ipſe
 In Superos, omni tempore, durat amor.

AD GRINAEAM

Quam durae miſeri ſunt conditionis amantes
 Qui nullas ſedes, nec loca certa tenent?
Nil datur aeternum, ſed, quo rapit impetus, illuc
 Ambigui in dubiis pectora rebus agunt.
Errant, et raro placida ſtatione fruuntur,
 Atque alia ex aliis ſub iuga amoris eunt.

Haec

Haec placuit Danais, Latiis hinc illa ſub oris;
Haec fuluis, niueis gratior illa comis.
Aurea diſpoſuit pulcrae haec redimicula vittae,
Moreque Germano vel Ioue digna fuit.
Sub gelido Arctoi placet altera ſidere caeli,
Candentes ſuperans candida tota roſas.
Denique quocumque adueniunt, terraque marique,
Hoſpitibus varius corda pererrat Amor:
Et, dum iam tacitos inſpirat ſubdolus ignes,
In longas iterum cogit abire vias.
Singula nunc, miſere dum te, Grinaea, relinquo,
Experior, vaſtum carpere iuſſus iter.
Quid magis excruciat, quam grata relinquere coepta,
Et ſpem, quae miſeros ſola in amore beat?
Sic ſolet impaſtus viſo lupus ire ab ouili;
Sic apis, ex dulci flore repulſa, volat.
Decipitur ſitiens fugitiuis Tantalus vndis,
Et, quod perpetuo poſcit, habere nequit.
Durior eſt mea ſors, dum deſero moeſtus amatam,
Quae me proſequitur, meque tenere cupit.
Auelli amplexu, nudis diſcedere ab vlnis,
Linquere tot riſus, baſia, furta, iocos;
Abſque dolore quis haec, humano ſanguine cretus,
Quiſue libens vmquam, qui iſta reliquit, erit?

Inuitus nuper te flens, mea vita, reliqui,
O animi medium, praecipuumque, mei!
Strinxisti cupidis, lacrimans, mea colla lacertis,
Pressistique meum pectus ad vsque tuum.
Immaduere tuae roranti lumine malae!
Nec minor in nostras decidit vnda genas.
Inuitus dextrae dextram, dehinc labra labellis,
Iunximus, et tristi diximus ore, Vale!
Iussa mei Regis tunc, et tunc Caesaris arma
Exsecrabar, et hoc, ire quod angor, iter.
Quam mallem illius, quem sparsa cruore necarunt
Lintea, vel sortem, fataue dura, sequi.
Numquid Abydenus iuuenis felicior est me,
Quem ferus in patrio gurgite mersit Amor?
Hunc Hero eiectum miseranda in littore vidit,
Et se praecipitem fortiter vlta dedit.
Ast ego, qui terras, et tot maria alta pererro,
Nescio, qua veniet mors regione mihi.
Pellor, vt a tumidis folium quod vertitur Austris,
In nullaque diu sede manere datur.
Nunc feror, Eois vbi Phoebus surgit ab vndis;
Nunc, Tartessiacas rursus vbi intrat aquas:
Nunc iterum, saeuis Notus imbrifer vnde procellis;
Rursus, vbi glacie Parrhasis vrsa riget.

Quo me cumque loco celſis vel in Alpibus abdo,
Conditus aut ima ſim modo valle licet;
Circumſeptus et his, qui culmine ſidera tangunt,
Montibus: inueniunt me mea fata tamen.
Si fugio ad Tanaim, magni vel ad oſtia Nili,
Vel procul ad Gades, ſeu glaciale fretum;
Nuſquam tuta quies: amor inſtat, agitque latenter,
Et ſubit incenſa pectora noſtra face.
Nil magis admiror, quam, quum ſit coecus et infans,
Quod me audet temere ſaxa per iſta ſequi.
Quid loquor? ad ſummum potuit penetrare Tonantem:
Nec tutus Pluto, ſub Phlegethonte, fuit.
Exarſit, gelidis nans Ennoſſigaeus in vndis:
Admeti pauit pulcer Apollo greges.
Alcides neuit: gemuit Polyphemus in antris:
Aeacides contra noluit ire Phryges.
Ingens imperium Gnidius puer occupat orbis,
Et certas geſtat, pectus ad omne, manus.
Olim nil graue erat, iuuenis dum feruidus vltro
Quaeſiui Cypriae mollia regna Deae.
Inque Papho ſacra thura focis, ariſque virentem
Myrtum, cumque roſis lilia mixta, dedi.
Nunc vigor ille abiit, ſenſim et mea tempora canis
Albeſcunt, aetas et mihi dura venit.

Ipſe tamen quamuis enitor, vt impete paruo
Non vincar: mecum certat iniquus Amor.
Ille, vt rideres limis, perſuaſit, ocellis
Nuper, dum fueras e regione mihi.
Ille tibi Charites, nitidoſque adflauit honores,
Et quidquid pulcri tota decoris habes.
Ille meum pectus iaculis tranſfixit acutis,
Victor et, hanc habeas! inde profectus, ait.
Sic crucior, patiorque graues in amore dolores;
Inque meo crudum pectore vulnus hiat.
Inter et hic certe dolor eſt vehementior omnes,
Quod non concepto debeo amore frui.
Cogor abire: morae nec quidquam reſtat: eundum eſt,
Quo ſors, quo fatum, res dominique vocant.
Rhaeteas Alpes, Atheſin, pontemque per Aenum,
Moeſtus et inde domus tecta relinquo tuae.
Reſpicio poſt terga tamen paruae procul vrbis
Moenia: et, vt redeam, moenia viſa iubent.
Ter conatus eram temonem vertere: terque
Obſtiterat votis res peragenda meis.
O me infelicem! pellor ſic ſaucius a te:
Languenti quis opem, pharmaca quiſque dabit?
Tu ſolo adſpectu praecordia laeſa benigno,
Et poſſes tactu reddere ſana manus.

Sed raperis propere, rapiorque miserrimus, Euro
  Ocius, et nostri est nulla medela mali.
Non mihi Philyrides, nec item prodesse Machaon,
  Nec poterit medicae Delius auctor opis.
Non, nisi te rursus videam, sanabor: at illa
  Quando dies misero, quando erit illa dies?
Corpus abit solum; tibi mens animusque cohaeret:
  Sensibus infixa est sic tua forma meis.
Felices igitur, firmo qui vtuntur amore!
  Durius incerto viuit amante nihil.

IN LAVDEM

M. PAVLLI CROSN. RVTHENI

PRAECEPTORIS SVI

AD

IO. LVBRANTIVM EPISC. POSN.

Adiectum eſt *Paulli Croſnenſis* Epithalamio, in nuptias Sigiſmundi I. Regis Pol. ac Barbarae, Comitis Sepuſ. Scripto, et Cracouiae An. 1512. quaternis edito.

Inter vt aſtriferi radiantia ſidera caeli
  Candida noctiuagis Cynthia fulget equis:
Sic inter virtus homines, digniſſime Praeſul,
  Inclita dat clarum ſemper in orbe iubar.
Illa, tuo reſidens in diuo pectore, longe
  Emittit rutilas, per ſua geſta, faces.
Haec primos noſtrae tibi relligionis honores
  Praeſtitit, et generis ſtemmata parta tui.
Vernat, et ad Superos florenti vertice ſurgit
  Pinus in Arctois hac duce celſa iugis.
Nunc igitur Regis, Regni, Procerumque fauores,
  Totius et plauſus nobilitatis habes.
Diceris a cunctis patriae tutela, ſaluſque;
  Conſilio praebes commoda multa tuo.
Cana fides, probitas animi, mens recta, profundum
  Ingenium, ſolidus dexteritatis amor:

Rebus

Rebus et in magnis induſtria multa gerendis,
  Dulceque facundi pectoris eloquium:
Te cunctis carum faciunt, cunctiſque colendum,
  Praeſertim doctis Pieriiſque viris.
Te penes eſt Cricius, docuit quem Delius ipſe
  Dulcia dulciſonis nectere verba modis.
Qui nunc Parrhaſiae decor eſt ſpecimemque iuuentae,
  Sedulo qui laudes, et tua geſta, canit.
Tentabamque etiam crebro tibi dicere carmen:
  Nabat in exiguis ſed mea cymba vadis.
At nunc iſte meus pro me praeceptor agat rem,
  Ingenii qui fert haec ſua dona tibi.
Palladiae longo fuerat qui tempore turbae
  Ductor ad Aonias, Numina ſancta, Deas.
Hippocreneo qui tinxit labra fluento,
  Grineoque facit carmina digna Deo.
Huic faueas clemens, Maecenas alter, et alter
  Pollio, Pieria non reticende chely.
Inde per ora virûm tua candida fama volabit:
  Sic vernans tollet pinus in aſtra caput.
Hinc tua ſic virtus a Gadibus vſque ſub Eurum
  Nota erit, et clarum nomen in orbe tuum.
Quem referent ſacri, Diuorum cura, poetae,
  Viuet, dum tellus aſtraque celſa manent.

DE NOSTRORVM TEMPORVM CALAMITATIBVS SILVA

Prodiit Bononiae An. 1529. quaternis, hoc titulo: "*Io-*
„*annis Dantiſci*, Oratoris Sereniſſ. Regis Poloniae
„etc. ad Clementem VII. Pont. Max. et Carolum V.
„Imp. Aug. de noſtrorum temporum calamitatibus,
„Sylua." Recuſa eſt bis: ſemel Cracouiae, An. 1530.
Conf. *Ianoſcius* l. c. p. 71. ſq. iterum eodem anno Coloniae, octenis. Vid. *Geſneri* Bibliotheca, p. 428.

AD LECTOREM

Quum noua delectent, noua, lector Sarmata, vates
Edidit in Latio carmina: nonne placent?
Si re non alia, placeant nouitate, quod ante
In Latio vates Sarmata rarus erat.
Naſo, Tomitanas quondam datus exſul ad oras,
Edidicit Getice Sarmaticeque loqui.
Heſperice ſic forte loqui, dum miſſus vtramque
Heſperiam peragro, me didiciſſe puta.
Si quid ineſt igitur terſumue minuſue politum:
Hac veniam iuſta cum ratione dabis.
Extorſit faciles numeros miſerabile tempus,
Quo, tanto rerum turbine, cuncta fluunt.

Si de Castalio non spirant fonte liquores,
  Nec redolent Phoebum, Pieridumque choros:
Ne contemne tamen, sed rem perpende legendo:
  Quum sensum teneas, nil ego verba moror.

Grande Sophocleo quicumque poema cothurno
  Concipit, Heroum gesta superba canit.
Exornat claris sua carmina celsa triumphis,
  Hippocreneis tingit et illa vadis.
Tempora materiam felicem laeta ministrant,
  Vatis et ingenio carbasa plena ferunt.
Hoc mihi sed misera sub tempestate volenti
  Scribere, se tristes exhibuere modi.
Seque mihi sparsis offert Elegia capillis,
  Et moesto questus mittit ab ore graues.
Omnia plena metus, horroris et omnia plena,
  His lacrimans numeris praecinit imparibus.
His vos, o Clemens, et Carole, lumina prima,
  Vos duo compello, sub quibus orbis agit.
Fas mihi sit, venia cum vestra, pauca profari,
  Tempora quae pro re dicere nostra iubent.
Ipse licet taceam, non res adflicta tacebit,
  Qua Christi passim grex, et ouile, perit.
Crimina quandoquidem meruerunt nostra malorum
  Hanc Lernam, nobis monstra tot vnde nocent.

Peſtis, bella, fames, incendia, praeda, rapinae
Inficiunt, noſtro quidquid in orbe manet.
Pax et amor, virtus, et honeſti recta cupido,
Cumque pudore fides, turpiter acta iacent.
Relligio, pietas, timor, et reuerentia Diuûm,
Inter mortales vix manet vlla magis.
Succreuere dolus, liuor, priuata ſimultas,
Fraus, odium, rabies, ira, libido, furor.
Seditio, vis, inſidiae, corruptio legum,
Impietas, Superûm paeneque nullus honor.
Hinc male quum regitur, plebs percita frena remordet,
Cepit et in Reges non ſemel arma ſuos.
Non opus eſt caedes, et praelia dira referre:
Teſtis adhuc Rhenus, teſtis Iberus erit.
Faſtus, auaritiaeque lues, inſanaque multos
Ambitio, contra faſque piumque, rapit.
Ex his tot caſus, et mille pericula rerum,
Proueniunt: haec ſunt ad mala multa duces.
Oppida magna ſub his, et regna perire videmus,
Ruraque multa ſuis orba iacere ſatis.
Non tamen erigimur, nec adhuc grauiora timemus,
Quae dabit offenſi plaga futura Dei.
Hunc pauci metuunt, et amant vix vnus et alter,
Qui nunc Europes ſub regione ſumus.
Hinc ſunt tot ſectae, quas haereſis atra notauit,

Per

Per quas Christicolis magna ruina venit.
Fit minor adsidue fidei respublica nostrae,
Quod, quo deberet, lumine nemo videt.
Praetereo, priscis quae sunt amissa diebus,
Quum Christi clarum nomen vbique fuit.
Quandoquidem tunc in terram transiuerat omnem,
Quod nunc in nostro noscitur orbe parum.
Hic ego non vrbes Asiae, nec perdita regna
Commemoro, nostris nunc inimica sacris:
Nec Libyae gentes, pietatis iura professas,
Quas modo Mahometi possidet atra lues.
Caucaseos populos, et Caspia littora linquo,
Quae tenuit nostrae relligionis amor.
Aut quos Amurathes, quos aut Payzetus adegit,
Sanctam baptismi linquere fontis aquam.
Ad nostros venio, quos si reputabimus, annos,
Emittent lacrimas saxea corda pias.
Graecia sub patrum nostrorum tempore victa,
Turcaico seruit subdita facta iugo.
Quis posset paucis tot bella cruenta referre,
In quibus ex nostris millia multa iacent?
Vt mittam reliquos, quorum non parua caterua
Sub signo fertur succubuisse crucis:
Quem non commoueat clades Varnensis? in illa
Ille mei Regis patruus occubuit.

Hinc, Byzantina tot caedibus vrbe ſubacta,
Turcarum vis eſt ſemper adaucta magis.
Auxit et hoſtilem diſcordia noſtra furorem,
Ad nos a Syriis quem procul egit agris.
Cum Perſis, et cum, quae bella fuere, Sabaeis,
Aut cum Niliacis ſat, puto, nota viris.
His, quum ſciretur nos diſſentire, relictis,
In nos armorum vis ea mota fuit.
Collectis igitur non paruis viribus, hoſtes
In ripis Iſtri continuere pedem.
Et prope Taurunum, Belgradum quod modo dicunt,
Fixerunt certis plurima caſtra locis.
Sulphureo tonitru manibus formata Cyclopum,
Proiecit crebros aerea canna globos.
Oppugnabantur confractis moenia muris:
Manſit et intactum, quod potuere, nihil.
Arx in Pannonicis non eſt munitior oris:
Inter vaſta duo flumina ſepta iacet.
Vnam Danubius partem, reliquam celer ambit
Sauus, vbi fluuio cum potiore coit.
Haec, contra Turcas, inuicta manere ſolebat:
Abſtulit his vno millia multa die.
Qua de re furor hoſtilis tum fortiter, acri
Cum ſtudio, coeptum continuauit opus.
Suppetias tandem feſſis quum nemo ferebat,

Arx fuit hoſtili capta ſubinde manu.
Eloquar, an ſileam? nobis ſtertentibus, inquam,
Noſtra ceperunt ex ditione Rhodum.
Clara Rhodus fuerat ſeps, qua trux dente Lycaon
Non poterat Chriſti ſemper obeſſe gregi.
Hac modo perfracta, penetralia tentat ouilis:
Quod, niſi ſit, qui defendat, et huius erit.
Nos inteſtinis nihilominus omnia bellis
Miſcuimus: nec adhuc exitus inde datur.
Hoſtibus hinc animus, grandiſque potentia creuit,
Climata qua mundi iam potiora tenent.
His neque contenti, quod adhuc ſupereſſe videtur,
Donec in hac ſtamus ſeditione, petunt.
Vtraque iam pridem quum Myſia pareat illis,
Viciniſque volunt imperitare locis.
Ingens Sarmatiae tentarunt ſubdere regnum,
Adflictum toties quod fuit ante ſatis.
Vaſta iacent, quondam foecunda, Podolica rura,
Quae fuerant Siculis fertiliora iugis.
Magnanimis haec quum ſuberant integra Polonis,
Suppetias et opes hinc habuere ſuas.
Terra ferax Cereris, pecoris nutrix, et equorum
Praepetium genitrix, belligerûmque virûm:
Nunc deſerta perit, paucis habitata colonis,
Hoſtibus et cunctis peruia facta patet.

Huc ab Hyperboreis gens barbara confluit oris,
Et quae Riphaea ſub niue dura riget.
Huc ſimul Euxini proficiſcitur accola Ponti,
Cum trucibus Beſſis, gens truculenta Getae.
Tartaricis dedit his populis, puto, nomina Pluto,
Per quos iam teritur Sarmatis ora diu.
Dalmata, Thrax, Macedo, Lacedaemon, Phryx, et Achiuus,
Qui Turcae noſtro tempore nomen habent;
Huc etiam, quum ſint vicini, ſaepius intrant,
Et deſolarunt, quidquid vbique fuit.
Hinc nuper fines bis vaſtauere Polonos,
Annus quum nondum rite peractus erat.
Oppida, cum pagis, crudeliter igne cremarunt,
Mactantes cunctos, qui renuere capi.
Poſt captiuorum denſas duxere cateruas,
Quorum myriades tres numeraſſe ferunt.
His inerant pueri, iuuenes, teneraeque puellae,
Matronae tremulae, decrepitique ſenes.
Res miſeranda quidem: ſuccurrere nemo valebat:
In ſubitis fieri caſibus iſta ſolent.
Vt curſu venere cito, rediere: ſtatimque
Diſperſus cogi miles ad arma nequit.
Hoc ita victores vno facti bis in anno,
Sic ad Threicias bis rediere domos.

Et ſibi, quos dicunt hoc noſtro tempore Moſcos,
Foedere iunxerunt, terribileſque Scythas;
Qui gelidum Tanaim, vaſtique Boryſthenis vndas,
Quique vel ex rapido Phaſidis amne bibunt;
Quidquid et eſt hominum, quibus indunt tartara nomen,
In nos coeperunt hoſtica ſigna ſequi.
Quod Rex Sarmatiae, quo nec pietate, nec armis
Clarior, expendens, arma parare iubet.
Sed quum ſe vidit tot cingier hoſtibus, impar
Noluit ancipitem Martis inire viam.
Subſidium prius, at nequidquam ſaepe petiuit:
Hinc ter in Heſperia poſteriore fui.
Quum tamen his bellis nunc Gallus, nunc et Iberus,
Ferueret, et Latiae diriperentur opes:
Nec foret auxilii ſpes vlla, ſed acrius inter
Chriſticolas rabies creſceret illa magis:
Ne temere bellum gereret tot ſolus in hoſtes,
Et feram victus quaereret exſul opem:
Tractauit potius certam pro tempore pacem,
Quam ſub praeſcripta conditione tenet.
Huic paci voluit Rex prudens iungere Regem,
Qui tenera rexit tunc duo ſceptra manu.
Huncque ſuum monuit toties ex fratre nepotem,
Poſceret vt tanto pacis ab hoſte modum.

Conſilio tamen Hunnorum parere ſuperbo
Maluit: hoc fretus ductus ad arma fuit.
Hoc infelicem conflictum fretus iniuit,
Inque iuuentutis flore cadens periit.
Sic fuit in fatis, quae non vitantur ab vllo:
Praeteriit nemo, quem ſtatuere, diem.
Quam miſeranda fuit tum caedes, Rege peremto,
Quum ſit nota, vetat commemorare dolor.
Tot Proceres, ſacrique patres, quos infula texit,
Pugnantes dirae ſuccubuere neci.
Tunc nihil in victos crudelis victor omiſit,
Quod ſuaſit rabies, impetus, ira, furor.
Graſſatum fuerat per rura, per oppida paſſim,
Incenſaeque domus pauperis agricolae.
Buda, caput regni, direpta cremataque tota:
Parſum ſtructuris ſed tamen arcis erat.
At prius euerſum Varadinum, nobile caſtrum,
Cum reliquis, quae non enumerare vacat.
Tranſeo, quae fuerat per Turcas edita ſtrages
In plebem, vel quot diruta templa iacent.
Millia quotue hominum fuerant abducta per Iſtrum,
Tendentes vinctas mente ſub aſtra manus.
Collacrimare libet: plorantem cernere turbam
Me reor, vt durum fertur in exilium.
Perculerant tamen iſta parum nos, ore profeſſos

Chri-

Chriſtum, quem raro pectora noſtra colunt.
Inde ſed irrepſit regnandi dira cupido,
Pannonia motus dans in vtraque nouos.
Qui nuper totum traxere in praelia mundum,
Quorum tam ſubito, non puto, finis erit.
O miſeram noſtro, male quo ſic viuitur, aeuo
Pannoniam! cunctis quae data praeda, gemis.
Hoc quod atrox hoſtis fecit, facit hoc et amicus:
Ex omni miſere ſic modo parte ruis.
Quos tu feciſti, te diripit impia Regum
Ambitio, quorum ſaeua per arma peris.
Tertius acceſſit, qui praelia tanta diremit,
Et trux hoſtibus his, hoſtis vtriſque nocet.
Obſedit pulcram, multa cum gente, Viennam,
Auſtriacos late depopulatus agros.
Ante ſed a victis vi ſceptrum ceperat Hunnis,
Quos nunc omnimoda ſub ditione premit.
Aequauitque ſolo Budam, deiecit et arcem,
Liquerat intactam quam pietate prius.
Occidit tamen hic omnes, quos viuere nouit:
Dicitur in multis hocque patraſſe locis.
Non aetas pueris, ſexus, nec forma puellis
Profuit, hoſtili quin caderent gladio.
Sacra, ſacerdotes, aedes, Diuûmque figurae,
Quidquid ibi noſtrae relligionis erat;

Interiere ſimul, Regno cum Rege ſubacto,
Quae victor dederat, vnde tributa capit.
Ad praeſens hiberna, ſua cum gente, petiuit:
Non procul a nobis tempore veris erit.
Praeſidiis abiit ſiquidem per caſtra relictis,
Quo cum maiori vi remeare queat.
Haec reputa laceri, Clemens, bone paſtor ouilis,
Qui nunc, cum magno Caeſare iunctus, ades.
Haec perpende, precor, demittas cor et in altum:
Nam res officio conuenit iſta tuo.
Ex animis Regum contracti tolle viciſſim
Si quid adhuc odii, quod reor, intus habent.
Corruptaſque nouo repara munimine caulas,
Et duc palantes ad ſata laeta greges.
Non lupus eſt tanti, modo ſit gregis vna voluntas:
Incidet in caſſes beſtia craſſa tuos.
Non deſunt vires, animus nec ad iſta profecto
Pontifici tanto dignus abeſſe poteſt.
Sit licet attritum Latium per bella, lueſque:
Succreuit pubes Itala multa tamen.
Haec cum magnanimis belli ductoribus ibit,
Quos tibi, ſi quaeris, Auſonis ora dabit.
Euganeoſque patres, terraque marique potentes,
Pace prius facta, ſub tua ſigna trahes.
Magna dabit ſaeui Germania robora Martis,

Quae generat pronos ſemper ad arma viros.
Hoc etiam faciet florens Hiſpania claris
Militibus, quos haec bellica mater alit.
Et cataphractorum tibi mittet Gallia turmas:
Irarum fertur iam poſuiſſe minas.
Arcubus extenſis opulenta Britannia multos
Sponte viros ad tam nobile mittet opus.
Proceris Phryſii iungent ſua caſtra Batauis,
Belgarum ducet quos galeata cohors.
Scotus et arma feret, cum Cimbro Danus, et hi, qui
Ad mare concretum iugera rara colunt.
Hunnus et oppreſſus, duce te, ſua tela reſumet,
Inque ſui Regis iura redire volet.
Accurrent fortes, infracto corde, Bohemi;
Et prope quae gentes regna propinqua tenent.
Non deerit bellax tibi Sarmata, trux et Alanus,
In leuibus pugnans nec Lithuanus equis.
Hi iam cum Moſcis toties, Daciſque, Scythiſque,
Cum Turcis etiam conſeruere manus.
Iſti nunc Regis Sigiſmundi iuſſa ſequuntur,
Quo nullum, qui te plus veneretur, habes.
Nil aliud petit hic, nihil eſt, quod crebrius optet,
Inter oues quam quod mens foret vna tuas.
Quodque ſub vnanimi conſenſu pectora Regum
In crucis oſores conciliata forent.

Hoc ſi perficies, nil pax remorabitur illum
Turcica: reſcindi, ſit pia cauſſa, poteſt.
In longum non eſt tempus confecta: priuſquam
Ibimus in Turcas, deſinet illa prior.
Fac modo Chriſticolae concordes arma capeſſant;
In Byzantinis bella gerantur agris.
Gentibus inſtructi ſint terra, per freta claſſe:
Victum cum neruo ſufficiente ferant.
Boſphorus inprimis capiatur Thracius, et ſic
Hoſtibus occluſis impediatur iter.
Hoc non vnius bellum praeſumitur anni,
Si debet iuſta ſedulitate geri.
Quod poſtquam fiet, Rex Sarmata pacta remittet,
Sponteque cum reliquis Regibus hoſtis erit.
Interea ſed quum nihil in commune moueri
Sentit, vult pacis commoditate frui:
Nec ſe cum regnis, quum nemo iuuare procurat,
Perdere: ſolus enim ferre tot arma nequit.
Iam licet a Turcis ſit tutus, gens tamen illi
Taurica cum ſociis, neſcia pacis, obeſt.
Haec venit a tumidis toties Maeotidis vndis,
Et magno numero plurima damna facit.
Et quamuis aliquando, fera cum gente, paciſci
Cogitur, obſeruat non tamen illa fidem.
Hinc conductitio fines cuſtode tuetur,

Et turmas equitum ſemper in aere fouet.
Sic infeſtatur crebris incurſibus: vnde
Tempora ſecurae pauca quietis habet.
Nullius auxilium tamen vmquam ſenſit, et hoſtes
Numinis innumeros ſaepe cecidit ope.
Regibus hinc praeſtat multis prudentia, et annis,
Vſu quam longo tempora ferre ſolent.
Indeque praeteritam praeuiderat ante ruinam:
Et niſi ſuccurras, iam grauiora videt.
Quare per Chriſti tibi viſcera ſupplicat, orbi
Vt modo languenti pharmaca tuta pares.
Nec mora te tardet: iam limina poſſidet hoſtis:
Si non obſiſtes, in penetrale ruet.
Diuerſas igitur mentes, odiiſque viciſſim
Flagrantes, certo pacis amore foue.
Et reminiſcaris, quod pacis amator, et auctor,
Te Deus in terras, hac ratione, dedit;
Si quid reſtat adhuc irarum, bella quod iſta,
Tempora vel quod idem priſca dedere tibi;
Si quid Gallus adhuc contra praetendit Iberum;
Si quid in hos laeſus forte Britannus habet;
Si quid ineſt aliis veteriſue, nouiue furoris,
Quo iacuit res, heu! publica preſſa diu:
Tu, Pater, in natos clemenſque piuſque reſolue,
Et ſic concordes duc ad ouile tuum.

Caeſar

Caeſar adeſt, praeſto; propere, quo iuſſeris, ibit:
Ante tuos et ob id procidit ille pedes.
Heſperiamque ſuam linquens, traiecit ad iſtam,
Vt veniens faceret, quae tibi grata forent.
Hoc etiam reliqui facient ex ordine Reges:
Tu modo, ne dubita, promere ſigna iube.
Caeſaris imperii ſacra tempora cinge corona:
Quod ſi fit, refert, hic vel in vrbe, parum.
Tu tecum Romam, non te fert illa, quod aiunt:
Eſſeque dicitur haec hic, vbi Papa manet.
Acrior hinc fiet, diademate fretus, in hoſtes;
Quo debetur ei, Turca quod omne tenet.
Conatus adeo ſanctos ſucceſſibus auge,
Vt coeptum feruens aggrediatur opus.
Quod ſi perueniet Germanas ſoſpes ad oras,
Nullus ibi, qui non ſponte ſequatur, erit.
Hoſtis ad Euphratis fugiet procul oſtia magni:
Cum Graecis rurſum Thrax ſacra noſtra colet.
Si tecum retro Tiberis tranſibit ad vndas,
Hinc et ad Hiſpanos per mare carpet iter.
Hoſtis ad Eridanum furioſa mente feretur,
Et ſua firmabit forſan in vrbe ſacra.
Haec prohibere potes, dum tempus, et integra res eſt:
Vix vmquam poſthac copia talis erit.
Hoc etiam quum iam cognoſcas, inclite Caeſar,

Vt bene perpendas, te tua iura monent.
Incultis igitur numeris innixa, seorsum
Ad te contendit flens Elegia loqui.
Da veniam! durum est feruente dolore tacere,
Adflicto cordi quem bona caussa facit.
Vera loquor: ter namque tua versatus in aula,
Nunc hic Sarmatico missus ab orbe vagor.
Per mare, per terras, a Gadibus actus ad Eurum,
Te comitatus ad hoc sum procul vsque solum:
Hic vbi sublimi populosa Bononia turri,
Iuncta suo Rheno, tollit ad astra caput.
Venimus huc, et iam bis cursum luna peregit:
In Turcas sed adhuc nulla statuta liquent.
Et quamuis iusto premitur Florentia bello,
Non minus in Turcas res ea digna foret.
Austriacis nuper dum grassarentur in oris,
Multa ferebantur, quae modo muta silent.
Ex te quod subito natus calor iste refrixit,
Effectus, caussa deficiente, docet.
Non tamen ergo puta caesos, vel forte fugatos,
Dicuntur subito quod retulisse pedem;
Et quod quassatam propere liquere Viennam,
Innumeros quae tot pertulit icta globos.
O vtinam non sit, quod opinor! vere redibunt:
Hic reditus magni caussa timoris erit.

Aspera

Aſpera quum primum ſua frigora bruma remittet,
Quumque ſuum quaeret Daulias ales Ityn:
Mox ex hibernis, quo conceſſere, reuerſi,
Relliquias alia commoditate petent.
Iam didicere, prius quod forſan defuit illis,
Concita quid noſtri militis arma valent:
Et quibus illa modis tractent, illiſque fruantur:
Ordine quo pedites in ſtatione manent:
Impete quoque ſolent extra procurrere vallum,
Et qua defendunt moenia fracta manu:
Quid veles poſſit, quid eques grauis arma ferendo,
Quoue ſtruant acies, inſidiaſue, modo.
Haec quum iam noſcant, ex omni parte cauebunt;
Aptius ad pugnam ſeque parare ſcient.
Naſcitur ex vſu rerum prudentia maior:
Non pallet viſis nauta probatus aquis.
Nec metuit vulpes, quem vidit ſaepe, leonem;
Ad notoſque canes non timet ire lupus.
Praeſertim quos adfecit formidine quondam,
In tales verſus plus feritatis habet.
Quam tuus impigre miles deiecerit hoſtem,
Libera iam tandem facta Vienna probat.
Intrepidi quicumque viri pro moenibus illis
Stabant, ſunt omni laudis honore pares.
Non tamen hoſtilis vis inde repreſſa tepeſcit;

Sed

Sed vereor, ne ſit forſitan aucta magis.
Abduxere tuos populos a finibus Aeni,
Qua magis Alpinas reſpicit ille niues.
His coniunxerunt habitantes vndique pagos
Auſtriacos, quos mox igne cremaſſe ferunt.
Hunniacas et opes, multa cum gente, tulerunt,
Pro qua vis auri plurima cedet eis.
Sic dites ſpoliis redierunt nuper opimis:
Thracius hinc in nos ſaeuior Iſthmus erit.
Si proh! vere nouo, quod opinor, forte redibunt;
Maior erit numerus, quam fuit iſte prior.
Aduenient, magna praeda dulcedine capti,
Ex Aſiae vaſtis, ex Lybiaeque iugis.
Iam ſibi promittunt Europae totius orbem:
Quem niſi defendas, quod petiere, ferent.
Interea quo ceperunt Taurunica caſtra,
Et quo Phoebeam corripuere Rhodum:
Non poteras, aliis bellis intentus, adeſſe,
Quum te vicinus traxit ad arma furor.
Is pacem tandem ſopitus fecit, et hoſtes
Foedus amicitiae iuſſit inire tuae.
Haec pax te Latias properantem duxit ad vrbes,
Ad quam iam pridem mens tibi prona fuit.
Vtque tuos faceres inimicos rurſus amicos,
Nil non tentaſti, quod rationis erat.

Hoc quum ſucceſſit, nec te vicina morentur
Bella magis; quae ſunt iam potiora, vide.
Turcarum rabies quo tandem, proſpice, tendat,
Quae ſic quottidie creſcit, et aucta viget.
Quam ſit in anguſtis hic nunc, perpendito, rebus,
Quem tibi germanum fecit vterque parens.
Huic niſi ſuccurras, per te neglecta peribit
Auſtria, qua generis creuit origo tui.
Latius hocque malum ſerpet: vix Rhenus id ipſum
Siſtet, vel rapidis Albula priſcus aquis.
Haec ne proueniant, o Caeſar, cum Patre ſancto
Prouideas: ſpectant vos mala noſtra duos.
Componas laceras modo temporis huius habenas;
Contineaſque tua lora remiſſa manu.
Suſcipe, quod diadema tibi debetur, et Vrbem
Ne cures: Vrbs eſt Felſina clara ſatis.
Rex quum Romanus non viſa diceris eſſe
Roma, cur non ſic Caeſar et eſſe potes?
Te modo, fac, propere Germanas confer ad oras,
Hoſtibus vt poſſis arma mouere crucis.
Nam tua res agitur: domus ardet propria: quam ſi
Liqueris ardentem, quid, niſi puluis, erit?
Tolle moras igitur: nec enim ſine numine Diuûm
In Latium ductus, tempus ad iſtud ades.
Te Deus aeternus teneris protexit ab annis,

Inque tuos hoſtes praeuia ſigna tulit.
Et, pro te pugnans, te fecit in orbe monarcham,
Imperiique dedit ſceptra coruſca tibi.
Quod, praeter reliquas virtutes, quas geris, ingens
Promeruit ſanctae relligionis amor.
Victrices aquilas, Chriſto duce, profer in hoſtes:
Ille tuis coeptis vela ſecunda dabit.
Nec deerit Clemens, qui te, quo coepit, amore
Proſequitur patrio, cuius id acta docent;
Clarius hoc etiam doctura: iuuabit euntem
Aere ſacro, fuſa perque ſacella prece.
Accedent alii Reges, tibi ſanguine iuncti,
Et iunctos quos ex foedere nuper habes.
Foedera ſed toties infecta, refectaque rurſum,
Me terrent: nec enim ſuſpicione carent.
In miſerum ſumus impacti, quod viuimus, aeuum,
In quo rara auis eſt inuiolata fides.
Tu tamen, in Superis qui ſpem non ponis inanem,
Vtere propoſiti dexteritate tui.
Scis, quibus ante modis deſertis ſit tibi pactis
Impoſitum: ſimili cautus ab arte caue.
Sunt conſultores tibi, per quos omnia tractas,
Magna praeſtantes integritate viri.
Horum conſilio, ſi quis latet anguis in herba,
Retia vel fuerint ſi tibi ſtructa, ſcies.

Quidquid id eſt, Superi quum te cepere regendum,
Inſidiis poterit nemo nocere tibi.
His ducibus, contra te nulla valebit aperta
Hoſtilis feritas, ſed tibi terga dabit.
Non te detineat, quod Iberia tam procul abſit;
Quodque tuum reditum, vota per ampla, petat.
Te poterit leuius nunc, quam prius, illa carere,
Quum natos habeat, pignora cara, duos.
Hos Deus ergo tibi viridi conceſſit in aeuo,
Vt per te rapidi frangeret ora lupi.
Te, noſtris lacrimis tandem permotus, adegit
Traiicere indomiti per vada ſalſa freti.
Haec tibi de ſummo mens indita venit Olympo,
Vnde nihil fruſtra pectora noſtra ſubit.
Hinc ita firmatus recutitos ibis in hoſtes:
In multis ſtatues clara tropaea locis.
I, decus! i, noſtri ſpes orbis, maxime Caeſar,
Quo tempus, quo res, quo pia fata vocant!
Per te vult orbi Deus altam reddere pacem,
Quae iacuit, per tot bella, ſepulta diu.
Per te vult animos feſſos firmare ſuorum,
Funditus vt pereat gens inimica crucis.
Tu propere, quae coepiſti, iam pectore toto
Perfice: protectus Numinis ibis ope.
Maiores agnoſce tuos, claroſque triumphos,

Quos

Quos ataui quondam promeruere tui.
Experiare tuam, fauſto ſub ſidere, ſortem,
Quae te victorem ſaepe probata facit.
Et faciet: coeptis ne deſis ipſe ſecundis:
Sub Iouis alitibus caſtra tremenda moue.
Te felix fortuna comes virtuſque ſequentur,
Orbis et imperium ſub tua iura dabunt.
Non monitoris eges: nec opus currentibus eſſe
Fertur equis ſtimulo: tu tibi calcar eris.
Ibis ad hoſtiles, Thracum per iugera, terras,
Et Syriae capies regna vetuſta ſacrae.
Vnde triumphali te nunc Elegeïa curru
Adſpiciens, ſparſas colliget arte comas.
Et pede coniuncto Sophocleum nacta cothurnum,
Grandiloquis referet tot tua geſta modis.
Hos modo praecipites numeros ne ſperne, quod atrum
Squallorem vultus temporis huius habent;
Sarmata vel Latios quod perſtrepit anſer olores,
Sub gelido natus, qua riget vrſa, polo:
Hic, vbi Sarmaticum vagus Iſtula fertur in aequor,
Et tuta portum cum ſtatione beat.
Noſtrarum facies rerum miſeranda coegit
Ex triſti faciles pectore verſiculos.
Vtque fluunt ſubito feruore; feruntur ab ore
In calamum, neruo vix retinente pedes.

Non ſunt in nonum, fieri quod debuit, annum
Preſſi, nec cura cum grauiore dati.
Hoc fit victuris numeris, quos anxia, multo
Cum ſtudio, vatum ſollicitudo premit.
Hi noſtri modo conflati, cito clauſtra relinquunt,
Et leuibus pennis in ſua fata volant.
Tempora noſcantur, geſtis cum rebus, in illis;
Et moueant animos tot mala noſtra pios.
Et quod per Turcas Regi cecidere Polono
Hunnorum Reges, patruus, atque nepos:
Quodque per incurſus, ex omni parte, coactus
Cum Turcis foedus pacis inire fuit.
Hoc mihi ſi dederint properantes dicere Muſae,
Non eſt, cur illas plus ſupereſſe velim.
Summa Meduſaei non ambio culmina montis,
Vngula quae tetigit Bellerophontis equi.
Aonios latices, quibus eſt ſitis alta, requirant:
Me leuis, in valles quae fluit, vnda iuuat.

AD INGENVVM ADOLESCENTEM CONSTANTEM ALLIOPAGVM

CARMEN PARAENETICVM

Primum id euulgatum eſt a *Staniſlao Hoſio*, Cracouiae, An. 1539. quaternis, hoc titulo: "*Ioannis Dantiſci*, „Epiſcopi Varmienſ. Carmen Paraeneticum, iuueni-„bus huius temporis non inutile, ad ingenuum ado-„leſcentem, Conſtantem Alliopagum". Huic editioni, quam ante oculos habeo, mecum ex Bibl. Zaluſciana benigniſſime communicatam, praemittitur *Staniſlai Glandini* I. V. D. ad Iuuenes Hexaſtichon, item eiuſdem Tetraſtichon, et ad *Dantiſci* Muſam epigramma. Conſtans autem Alliopagus non alius certe, quam *Euſtachius a Knobelſdorf*, Canonicus Varmienſis, et poeta clariſſimus: cuius carmen, in obitum Sigiſmundi Regis, ſummopere laudat *Georgius Sabinus*, in Elegia ad illum perſcripta, et inſerta *Sabini* Poematibus, Lib. V. (ed. Lipſ. 1563.) p. 183.

Reuerendiſſimo Domino

D. Samueli Maczeiovvſki,

Chelmenſi Epiſcopo, Regni Pol. Procancell.

Staniſlaus Hoſius S. D.

Quum eſſes Chelmenſis Epiſcopus renunciatus, dici non poteſt, quanta fuerim voluptate perfuſus. Etenim hoc tibi honore mandato quaſi prae-

ſcribi videbam aliis, qua quemque ratione honori ſuo velificari oporteret. Nam quum virtuti doctrinaeque tuae, et praeclaris meritis, fructum hunc a ſapientiſſimo Principe tributum eſſe perſpiciant, contendent omni ſtudio et elaborabunt, qui ad hoc genus dignitatis adſpirant, vt iiſdem ad eas artibus viam ſibi munire queant. Tibi enim quum eſt honos iſte delatus, litteris delatus eſt, delatus eſt candori et integritati, delatus eſt continentiae, modeſtiae, pietati, grauitati, prudentiae, animi magnitudini, delatus eſt vniuerſo virtutum choro. Quem ita te complexum videmus, vt illud in te verum eſſe comperiamus, quod a Stoicis dicitur: Cui virtus inſit, vna ei omnes ineſſe. Itaque te aucto et honeſtato, virtus ipſa mihi aucta et honeſtata eſſe videtur. Quam ardentius amplectentur poſthac alii, quum eam debitum ſibi fructum viderint eſſe conſequutam. Honos enim eſt, qui alit artes bonas, ſi bonis detur; malas, ſi malis detur artibus: qualeſque ſunt ii, quibus honores deferuntur, tales eſſe docentur ii, qui ad eos adſpirant. Quamobrem quum tibi, hoc eſt, virtuti ſua eſſe praemia perſoluta viderem, tanto fui gaudio cumulatus, vt me tenere non potuerim, quin tibi honorem hunc contra morem conſuetudinemque meam publice gratularer. Quoniam iis eſt hoc fere in more poſitum, vt qui fortunarum et dignitatis acceſſionem gratulantur, ii quo magis ſtudium ſuum decla-

declarent, aliquo eum, cui gratulantur, munere prosequantur; vt receptae consuetudini satisfacerem, ipse quoque, quo tibi potissimum munere meam in te propensam voluntatem declararem, diu multumque deliberaui. Ecce! perquam opportune incidit in manus meas libellus cum primis elegans et venustus dignissimi Praesulis mei Varmiensis, D. IOANNIS DANTISCI, cuius nomen cum doctrinae, tum virtutis fama, in toto prope terrarum Orbe celebre est. Neque nesciebam, quantopere ille ab huius libelli editione abhorreret, vt qui, quum in scribendo carmine ceteris satisfaciat, sibi ipse tamen numquam satisfacit. Sed si Caesar ille Octauianus indignum id esse, minimeque ferendum existimauit, vt quod opus ferrum in se flammasque continebat, id in posterorum manus non perueniret: multo magis mihi indignum minimeque ferendum visum est, eum libellum premi, neque in publicum proferri, in quo tot tam salutaria recte viuendi praecepta continentur. Ego vero quamcumque in partem id ille accepturus esset, nolui me tanto scelere obligare, vt ingentem hanc vtilitatem studiosae iuuentuti inuidisse viderer. Quodsi quid offensus esset illius animus: bona me spes tenebat, quum eum tibi in hoc tuo nouo magistratu dicatum esse cognouisset, pro eo, quanti te facit, facile eum omnem offensionem depositurum, mihique, si quid a me, quod non arbitror,

erratum esset, condonaturum. Accipe itaque a me munus hoc, Praesul dignissime, non meum quidem proprium, sed ab eo auctore profectum, quicum tu amoris et beneuolentiae certamen eiusmodi suscepisti, statuere vt non possim, illene te, an tu illum pluris facias. Deum precor, vt honorem hunc tibi fortunet, vtque te nobis quam diutissime incolumem conseruet, atque omni felicitatis genere cumulet.

PIO LECTORI

Hunc quicumque legis scriptum sine bile libellum,
Commoneo, iudex aequus vt esse velis.
Si quid forte minus solidum, vel forte χιάζαν
Passim conspicies, consule quaeso boni.
Materiae series spatiosa subinde vagari
Iussit; in angusto noluit esse loco.
Non referre parum nosti, quis spiritus adflet;
Qua vel ad in caussa rostra patronus eas.
Hic nisi taxatur desertor et impius exlex:
Integra cuique pio stat sua fama viro.

Grata fuit, nuper mihi quam tua Musa salutem
Dixit: vt haec adsit, non minus opto, tibi.
Et, quae scripsisti, mihi singula grata fuere:
Attamen adfectus non nihil inde fui.

Nempe

Nempe videns enſes veteranus miles et arma,
  Actae militiae cogitur eſſe memor.
Annoſus tumidas audit quum nauta procellas,
  In terris pelagi non meminiſſe nequit.
Venator recolit ſenior, quid fecerit olim,
  Sicubi per ſiluas retia tenſa videt.
Sic ego, quum legi tua Phoebo carmina digna,
  Non potui Clarii non memor eſſe Dei.
Quae iacuere fides neglectae, plectra repoſta,
  Cum cithara, ſeſe proripuere ſtatim.
Oblitique mihi moduli rediere, recluſos
  Intima quos habuit pectoris arca diu.
Mox me Pimplaeis ſpaciari rebar in antris:
  Adſtitit et praeſto turba nouena mihi.
Ex qua non potui vetulam cohibere Thaliam,
  Quin numeros numeris redderet illa tuis.
Concentu parili ſi non reſpondet, habebis
  Cauſſam, quod rauca voce ſenecta canit.
Dulcior eſt cantus iuuenis, cui ſpirat Apollo,
  Et gratum lepido cui dat ab ore melos.
Suſcipit hos Helicon, qui libertate fruuntur,
  Et nullo verſant ſubdita colla iugo.
Subueniunt animis Muſae ſine nube ſerenis:
  Sunt hilaris laetum carmina mentis opus.
At noſtrum quatiunt non parua negotia pectus,

Quod modo ſollicitum plurima cura premit.
Adde, quod a multo iam tempore prata reliqui,
Quae de Caſtalio florida rore madent.
Vſus abeſt ſtrictim ſcribendi: libera cogi
Dictio ſub numeros abſque labore nequit.
Vix haec eſt magno ſtudio contracta renitens,
Quam male compoſito cernis inire gradu.
Nimirum quod deſueui conſtringere verba,
Per ſe quae motu liberiore fluunt.
Quum mihi fulgebant prima lanugine malae,
Ad Muſas ſegnis non mihi curſus erat.
Impoſitis potui multos concludere verſus
Compedibus: quod nunc tarda ſenecta negat.
Quae dederat quondam prior, aufert grandior aetas:
Non eadem ſemper, quae placuere, placent.
Me tamen en! eduxiſti per iter, mihi dudum
Notum, ſed modo quod neſcio, quale fuit.
Ne labar, vereor, vel oberrem, quo ſit eundum,
Neſcius, oblitus per loca vaſta viae.
Alta ſenex nequeo ſuperare cacumina montis,
Vngula quae tetigit Bellerophontis equi.
Si non ſumma petam, medium conabor adire,
Quo nihil in rebus tutius eſſe poteſt.
Deficiant vires quamuis, roburque fatiſcat,
Nec mihi ſit praeſens, qui fuit ante, vigor:

Ingrediar tamen: innixum me fcipio forfan
Ducet, mens quo fe numine fentit agi.
Principio quod me grataris culmen ad iftud
Euectum, noftri ductus amore facis.
Non hoc tot laudes, quas non agnofco, dedere;
Sed dedit immerito gratia magna Dei.
Immerito certe: qui non fum pafcere verres
Dignus, et e filiquis exfaturare famem.
Namque creatorem multis in fordibus aucto
Offendi grauiter crimine faepe meum.
Horrefco memorans aetatis tempora primae:
Quae, quibus abfumfi, funt mihi nota, modis.
In teneris annis tumidam fum raptus ad aulam,
Scilicet ex doctis, quod modo plango, fcholis.
Aula, lues hominum, fentinaque larga malorum,
Me docuit, pudor hic quae reticere iubet.
Hanc igitur linquens, Latiafque profectus ad oras,
Me volui ftudiis confociare tuis.
At fecus euenit, quum iam penetraffe per Alpes
Me vidi, latum nec procul effe fretum.
Euganeos adii conclufos vndique Ponto,
Qui tria regna fua fub ditione tenent.
Hic quum vidiffem focios, nauemque paratam
Ad Solymas; mihi mens quo fuit ante diu:
Mox illam fubiit vis Numinis impete quodam,

Quae

Quae iuſſit comitem me ſimul eſſe viae.
Conſcendi, pariter perſoluens debita nauli,
Optatis ventis velaque tenſa dedi.
Multa maris paſſus diſcrimina, plurima vidi,
A me quae toties lecta fuere prius.
Singula dinumerare labor modo quum ſit, omitto:
Ex multis referam ſed tibi pauca tamen.
Adriacos fluctus linquentes, carbaſa magnum
Pandimus Ionium per mare, flante Noto.
Legimus inprimis Corcyrae littora, nudum
Fracta Dulichium quae tenuere rate.
Hic non vna quidem nobis eſt inſula viſa,
Quas nimia mendax Graecia laude canit.
Attigit et claram prius vrbibus acta per vndas
Aegaeas patriam noſtra carina Iouis.
Frugum Creta ferax, et abundans dulcis Iacchi,
Ex magna nobis vtilitate fuit.
Cepimus hic etiam victum: ductiſque per aequor
Carpathium ventos aura ſecunda dabat.
Liquimus hic fines Europae, nautaque coeptum
Ad partes Aſiae continuauit iter.
Vidimus inde Rhodum, cui numquam nubila ſolem
Obducunt, qualiſcumque ſit illa dies.
Hic ego cum ſociis feſſos reparauimus artus:
Tunc ibi praefuerant candida ſigna crucis.

Ad-

Addere plura liberet: at hic mihi tempero, quum ſint
Nota ſatis, quamuis vrgeat ipſe dolor.
Soluimus a Phoebi ſic regno, regna petentes,
Quae Cyprus adſeritur continuiſſe nouem.
Hic nos detinuit flatu contrarius Eurus,
Cornua dum Phoebes bis renouata forent.
Hic Paphos, hicque Gnidos, mons Idalus, et nemus ipſum,
Praebebant oculis gaudia nulla meis.
Namque febrem, putri corruptus ab aere, paſſus,
Non potui Veneris languidus eſſe memor.
Tandem nos Aquilo pertaeſos littore ſoluit,
Rurſus et in pelagus lintea plena tulit.
Sed tibi quid memorem, fuerim quam paene ſub vndis,
Quum nauis dederat ſaepius icta latus?
Hanc fractis voluit penitus ſubuertere velis
Flans ab Hyperboreis nimbifer ille iugis.
Tum mihi bis deni fuerant, non amplius, anni:
Extremumque mihi rebar adeſſe diem.
Sola Dei nos ſeruauit clementia ſummi,
Qui tumidis ventis imperat atque mari.
Hoc duce tum demum ſoſpes prope littora veni,
Ad quae tam longo tempore curſus erat.
Hic vinctam fertur Caeto rapuiſſe puellam

Per-

Perſeus, et monſtro praeualuiſſe maris.
Cum ſociis ſubii Ioppen, de more relicta
Cum feſſis nautis, in ſtatione, rate.
Hinc nos ducendo Mahumetica turba recepit,
Deſeruit Chriſti quae recutita fidem.
Impoſiti Solymas aſinis intrauimus, aeſtu
Exanimes, paſſi verbera, probra, lutum.
Gentis inhumanae crudelia facta minaſque,
Non eſt, crede mihi, qui numerare queat.
Vidimus hic, vbi crux ſteterat, ſanctumque ſepulcrum,
Et Chriſti circum quae loca ſancta manent.
Tranſgreſſi tandem limoſi gurgitis vndas,
Cui lacus Aſphaltus meta ſuprema datur:
Attigimus terras Arabum. Sed longius exit,
Quam volui, ſenio facta Thalia loquax.
Haec quum luſtraſſem multo diſcrimine cuncta,
Vanaque cognoſcens quidquid hic orbis habet:
Intendi rediens îs me ſubducere rebus,
Quae me ſollicitum plus habuere ſatis;
Viuere contentus paucis, inglorius annos
Ducere, prudenti ſimplicitate frui;
Otia complecti, priuatam ducere vitam,
Quae foret a quauis ambitione procul;
Et cum litterulis commercia rurſus habere,

Pieri-

Pieridum doctis inter et eſſe choris.
Me patriis igitur Laribus, caris et amicis
Incluſi, ſtatuens, abditus eſſe domi.
Sors aliter vertens iterum me traxit ad aulam,
Et votis vti non dedit illa meis.
Iam quarto famulor Regi, qui ſceptra Polona
Dirigit immenſi lata per arua ſoli.
Cuius grandaeuus genitor Rex, gloria Regum,
Dante Deo, decus hoc pontificale dedit.
Sed prius a multis ſeruiui duriter annis,
Perpeſſus vitae taedia longa meae.
Miſſus ad heroas toties, orbiſque monarchas,
Curarum grauium pondera mille tuli.
Sum ter ad Heſperiam procul ablegatus vtramque:
Eſt ter et ipſa mihi Gallia viſa triplex.
Vidimus a noſtro diuiſos orbe Britannos,
Magnus et Oceanus quae prope regna tenet.
Extremos hominum Morinos, gentemque Batauam,
Et quos vicinos Rhenus et Iſter habet.
Iunior et belli contra Dacoſque, Getaſque,
Atque Boryſthenidas, tempore miles eram.
Sic tot per montes, valles, vaga flumina, pontum,
Iactato requies non fuit vlla mihi.
Quis ſtudiis toties motoria fabula factus,
Haerebit? quid in îs artis habere poteſt?

Quas et ob id laudes tribuis, non nosco: nec esse
Accisimum credas: res facit ipsa fidem.
Si quis, amans artem, non est operatus in illa,
Vel quam non didicit, quomodo, quaeso, sciet?
Multa potest licet improbitas, studiosa laboris:
Absque docente tamen vix iuuat iste labor.
Marte fatigatur proprio; doctore leuatur
Ingenium, citius quo duce cuncta capit.
Hoc ego sum raro primaeuis vsus in annis:
Quod scio, quidquid id est, cura subinde dedit.
Non semper male, quae fuerant quandoque, locaui
Otia, cum parua sedulitate tamen.
Nunc huc, nunc illuc, hominis mens saepe retracta,
Non vni potis est semper inesse rei.
Forte putas, multum valet experientia: sic est:
Sed sine litterulis proficit illa parum.
Qui mores hominum peragrans scrutatur, et orbes
Extremi partes, laudis amore facit.
Hoc ductus quondam prudens errauit Vlysses:
Non melior rediit, sed magis inde miser.
Antipodes liceat videas, Indosque repertos:
Quid tum, si mens non cultior inde redit?
Per mare, per terras volites: quid tum, loca tantum
Si mutas, et mens, quae fuit ante, manet?
Antigone facit hoc: gruibus mos est simul idem:

Anser

Anſer et ille redit, qui prius anſer erat.
Laudatur merito, qui numquam viderat vrbem,
Ruſticus, et patrium non niſi nouit agrum;
Cuique fere totus vicinia proxima mundus,
Magnaque vicinae regna videntur harae;
Qui neſcit, Tanais, vel quo decurrat Hydaſpes,
Contentus riuis, qui prope rura fluunt.
Non eget hic medicis, neque ſuccis vtitur aeger,
Quos fallax pretio pharmacopola parat.
Ex herbis altus, quas tellus ipſa paterna
Protulit, infracto robore, fortis arat.
Attamen ingenue ſenuit, ſine crimine vixit,
Ex animi conſtans ſimplicitate ſibi.
Quid praeſtant illo, magnus quos cantat Homerus,
Et quibus in terris nomina clara facit?
Naſcimur, et morimur ſub eiſdem legibus omnes:
Et genus eſt Parcis, Croeſus et Irus, idem.
Fama quid in Stygia demerſis profuit vnda?
Vel quibus aetherea viuere ſede datur?
Non ſaeuos minuit cruciatus; gaudia reddit
Non magis aucta: ſed eſt flamen inane ſoni.
Ob quod ſe dedunt hominum tot millia morti,
Vera quibus curae non ſolet eſſe ſalus.
Quos hic deberem tibi ſi depingere verſu,
Immenſi fieret grande laboris opus.

Profuit expertis non experientia ſemper:
Interitum claris ſaepe dat illa viris.
Dux bonus in bellis, plerumque natator in vndis,
Schaenobates rupto funeque ſaepe perit.
Et mihi mors oculis fuerat quandoque ſub ipſis;
Non ſemel et vitae ſpes mihi nulla fuit.
Tunc ego felicem, qui verſat aratra, putaui,
Vt mihi ſors, optans, illius arcta foret.
Quare ne laudes, amiſi quod bona fruſtra
Tempora, canities quod nitet ante diem:
Et quod ſum toties terris iactatus et alto,
Hinc modo quod vita languidiore fruor.
Artibus illa bonis ſi tradita forte fuiſſent,
In modulis eſſet dexter Apollo meis.
At, viden'? inculto procedunt agmine: quorum
Si ſint diſpoſiti, neſcio, rite pedes.
Forte ſtatum recto non ſeruant ordine: mirum
Ne tibi ſit, ſiquidem nil Heliconis habent.
Sed cito praecipites volitant ex tempore nati,
Exoſi limae, quas meruere, notas.
Ad te nam properant, quaedam documenta ferentes,
Ex re non vana quae tibi forſan erunt.
Ille, valetudo quem corripuit grauis olim,
Aegro conſilium ferre ſalubre ſolet.
Sicque tibi poſſum vitae praeſcribere leges,

Ver.

Verſatus variis, tempus ad omne, modis.
Tu, qui iam primo vernas in flore iuuentae,
Praecox ingenium cui Dea Glauca dedit:
Tempore perpendas nihil hic pretioſius eſſe,
Quod ſemel elapſum non reuocare potes.
Hoc dedit ergo Deus, poſſis vt ſaluus in illo,
Et conſors fieri ſedis in arce poli:
Hoc et, vt adſidue ſanctis te moribus ornes,
Vtque pie viuas, dum tibi vita comes:
Denique quod ſtudiis poſſis incumbere rectis,
Quae non a vera relligione trahant.
Inprimis curae tibi ſit, ſuper omnia ſummum
Viribus ex totis cordis amare Deum.
Quem, caue, ne laedas vmquam; ſi laeſeris, imo
Ex animo veniam, ſit mora nulla, petas:
Et doleas, quod peccaſti; deſiſte, ſtatimque
Cum lacrimis lapſum confiteare tuum.
Non temere peccans, ſed qui compunctus ob ipſum
Delictum linquit crimina, ſaluus erit.
Peccatum vitans Chriſto confide, iuuabit:
Haerens peccato fidere nemo poteſt.
Non credas fidei, quae non niſi nomine conſtat,
Et quae non fructus ex pietate facit.
Qua modo decipitur vulgi pars magna furentis,
Credere duntaxat quae ſatis eſſe putat.

Semper in ore fides, et Chrifti verba feruntur;
Abfque fed effectu vana profata manent.
Vt bene fit ventri, fub ventreque cuncta licere,
Ex reprobis monachis turba magiftra fuit.
Per quam multorum mentes hoc tempore languent,
Quas mifere captas impius error agit.
Scripta patrum contemnuntur: noua fcripta probantur,
Oeftro quae Stygio, plenaque bile, tument.
Non fecus haec vulgus tamen obferuare iubetur,
Quam fi fint Chrifti fingula fcripta manu.
Quem iactant, et habere putant, qui talia plebi
Inculcant, Pluto quum regat intus eos.
His humana patrum veterum documenta videntur,
Et fua, plena probris, effe facrata volunt.
Peccandi datur hinc rabiofa licentia multis:
Reiicitur, veluti fex, opus omne pium.
Turpiter erratum clamant huc vfque fuiffe,
Et prius hic fanctos defipuiffe viros.
Hactenus ac fi non datus effet Spiritus ille
In mundum, fummi miffus ab arce patris:
Hoc aeuo primum quem defcendiffe fatentur,
Et modo fe plenos illius effe ferunt.
At vitae mores alium fub pectore monftrant,
Qui fe declarat per fua gefta fatis.

A Superis humilis, patiens, caſtus, pius, aequus;
Spiritus a Stygiis eſt ſceleratus aquis.
Per quem ſunt ſectae, lites, homicidia, fraudes,
Ebrietas, luxus, ſtupra, rapina, furor.
Hoc duce cuncta docent, et multa volumina ſpargunt,
In pedicas per quae credula corda trahunt.
Quae ſi quando legis, ne te ſub melle venenum
Corripiat, niuea ſimplicitate caue.
Hoc etiam virus fidei ſimul omnia ſoli
Attribuit; factis eſſe neceſſe negat.
Qui praecepta Dei ſeruando non facit, haecque
Contemnit, fruſtra nititur ille fide.
Abſque fide Chriſti nihil eſt, conferre ſalutem
Quod poſſit, quantum ſit licet vſque bonum.
Ex nobis hoc, quod proſit, praeſtare nequimus:
Velle bonum, donat gratia ſola Dei.
Quare non hominis currentis, ſiue volentis;
Illius eſt ſolidum ſed miſerantis opus.
In nobis operans hoc ipſum iuſſa ſacrata
Perficit, et mundum vincit, et omne malum.
Eſtque neceſſe, ſed vt rogites, quod gratia detur,
Sic viuens illa dignus vt eſſe queas.
Quam ſi ſectantur ſua congrua geſta, nec illam
Sumſeris in vanum: ſidere iure potes.

Exercens ſe quippe fides, non mortua, ſaluat:
Hanc tu viuentem, per pia facta, proba.
Da nudo veſtem; peregrinum collige; preſſum
Paſce fame; pellas a ſitiente ſitim.
Captiuos redimas; aegros inuiſere perge;
Et defunctorum corpora conde ſolo.
Imparti miſeris operam; ſuccurre dolenter
Adflictis; omnes non ſimulanter ama.
His ſimul offenſas, tibi qui nocuere, remittas;
Si tibi dimitti multa ſceleſta velis.
Quod fieri tibi vis, aliis fac; cauſſa doloris
Sis nulli; linguae ſint tibi fraena tuae.
Si quem laeſiſti, placa, veniamque roganti
Communi tractus frater amore dabit.
Non facias, in eo quod diſplicet eſt tibi ſi quid:
Vt cum fratre ſolet frater, amanter agas.
Ex vno genitore quidem proceſſimus omnes:
Ex vno nati compoſitique luto.
Nos et idem pretium Stygiis diſſoluit ab vndis;
Hac Rex et ſeruus ſunt ratione pares.
Debemus faciles hinc condonare viciſſim:
Quin hoſtes etiam iuſſit amare Deus.
Hoc age, ne cui ſis inimicus; dilige, cunctis
Et benefac: nullum deſpice, quiſquis erit.
Sunt delatores, hominum pars peſſima: ſed tu,

Oblo-

Obloquitur ſi quis, credere turpe puta.
Nullius famae, vel honori detrahe; nulli
Inuideas; cunctis fauſta precare libens.
Res te nulla cito vehementem vertat in iram;
Nec cito de verbo commoueare leui.
Cum nullo tibi ſit lis aut contentio; cede,
Induci certans ſi ratione nequit.
Ne tibi ſit, caue, cum ſociis conſortio prauis:
Quae tangit, retinet candida lana picem.
Siue premant aduerſa, feras, nec corrue; nec te
Sublimes, ſi te forte ſecunda leuant.
Rebus in humanis medium ſeruare labora,
Et certum vitae diſce tenere modum.
Te luxus, rapiens Cypriaeue libido petulcae,
A recto non in deuia luſtra trahant.
Vtere conſilio prudentum; ne tibi fidas;
Decipimur, nobis quum niſi noſtra placent.
Omnibus ex aequo faueas, prodeſſeque geſti:
Nemo tuam fruſtra poſcat egenus opem.
Haec ſiat tibi ſumma: Deum reuerere, timeque,
Et ſuper omne, quod eſt, ſemper amare ſtude.
Sic facies, nec vana tibi fiducia creſcet:
Non alia ſaluat conditione fides.
Hinc nobis aderit patris indulgentia ſummi,
Saluari certe qua ſine nemo poteſt.

In Chriſtum credens tota vi pectoris, is ſic
  Aeternam vitam, qui bene fecit, habet.
Hanc vt viuendo recte contingere poſſis,
  Impendes operam nocte dieque tuam.
Tende per anguſtam portam; deſcenſus auerni
  Eſt facilis, quorſum perdita turba ruit.
Cum qua ne te praecipites, iter arripe ſtrictum
  Ad Superos: nec erit, ſi cupis ire, graue.
Namque iugum domini portanti ſponte ſüaue:
  Et, ſi ſponte feras, eſt onus omne leue.
Huic te ſubmittas; patientia dux tibi fiat;
  Sic poteris vita fine carente frui.
Vt quandoque ſtato ieiunia tempore ferre,
  Et res ad ſacras aptior eſſe queas:
Caſtiga corpus, promto ſeruireque coge
  Spiritui, ſpernens quae caro ſtulta cupit.
Non ſemper paſtu ſaturum, temetoue refertum,
  Sed tenui victu leniter illud alas.
Sic te non poterunt adfectus, qui cor adurunt,
  In deſideriis illaqueare malis.
Nec poterit princeps huius te ſubdere mundi,
  Cuius caſtra vides vulgus inerme ſequi.
Cum peditum graditur turmis, equitumque phalangis,
  Et cum velitibus vaſtat vbique ſuis.

Hic

Hic vbi praeſertim mactanti nemo reſiſtit,
Quiſque ſed in patulam fertur, vt aura, necem.
Nec deſunt haec ductores ad bella periti,
Quos declamantes impia turba colit.
Ganea dat campum; mucronem crapula; mortem
Ad quoduis facinus mens, ſine lege, vaga.
Ex qua proueniunt cum faſtu liuor, habendi
Ardor, adulterium, luxus, et omne ſcelus.
Hinc venit omne nefas, furioſa licentia, Diuûm
Contemtus, quaeuis ad benefacta pudor.
Hanc qui nunc mentem ſumſere, per arua, per vrbes,
Regnaque tot ſectas conſtituere nouas.
Fronteque perfricta, temere ſimul abſque rubore,
Hi quid non audent? quidue licere negant?
Nullus honeſtatis cultus, fidei, vel honoris,
Et nihil his verae relligionis ineſt.
Quidquid iurarunt, vel promiſere, relinquunt,
Immemores pacti, non ſine labe, ſui.
Foedera, iura, ſacras leges, et vota recepta,
Contra deſponſam deſeruere fidem.
Veſtales ſtuprant, facientes ſcorta, miſellas:
Coniugii tamen haec crimina nube tegunt.
Hoc ſane Deus inſtituit; ſed non dedit vti
Cunctis: ſunt etiam, quos ſine prole beat.

Hi ſunt, caſtrauit quos propria ſponte voluntas,
Propter ſiderei regna beata poli.
Bis ſenos Chriſtum tales habuiſſe ſpadones
Conſtat, ab vxorum quos tulit ipſe toris.
Ex illis nulli tum permiſiſſe reuerti
Legimus ad thalami iura relicta ſemel.
Semper adhaerebant, et corpore menteque puri
Adſeclae, domino per loca cuncta ſuo.
Donec eos partes mundi legaret in omnes
Surgens, quum mortis vincula ſciſſa forent.
Ad populos Aſiae quoſdam, quae continet vrbes
Innumeras, fidei quae didicere modum;
Ad Libyae gentes alios, vbi magna Cyrene,
Cuncta iacet variis Africa vaſta plagis;
Poſt et ad Europae regiones iſtius orbis
Hos miſit, veram qui docuere fidem.
Non quam nunc mixtam conſpurcant mille venenis
Hi, per quos turbis Teutonis ora furit.
Vnde tot armorum ſtrepitus, tot caeſa colonûm
Agmina, tam multus depopulatus ager;
Tot viduae, caris proleſque parentibus orba:
Vnde tot ex ſtupris probra nefanda patent.
Tales non fuerant, qui Chriſti nomen vbique
Sparſerunt, et qui dogmata recta dabant.
Non lucri cupidos, aliena vel arua petentes,

Vel

Vel quibus ex raptu vita ſceleſta placet;
Non homines tumidos, omnique libidine plenos,
Quique niſi nitidae pondera carnis amant:
Sed ſibi delegit pius ille magiſter egenos,
Et qui cultores ſimplicitatis erant.
Quique, ſcaphis ruptis et retibus, inde vocati,
Dimiſſis cunctis, non renuere ſequi.
Dixit enim, qui non ſeſe caroſque parentes
Deſerit, et natos, coniugis ora, domum:
Hunc ſe non dignum, caeloque; manere profundi
Hunc Erebi poenas, et ſine fine rogos.
Nubere non vetuit, ſi recte riteque fiat,
Sit quamuis ingens virginitatis honos.
At ſemel ex labiis quae cor dedit intima vota,
Irrita non fieri, vana nec eſſe, velit.
Quae modo proiiciunt, qui, relligione propulſa,
Veſteque deiecta, Cypridos arua colunt.
Hoc vt idem faciant omnes, non poſſeque clamant
Quem ſine complexu viuere femineo.
Quum multi taedas numquam tetigere iugales,
Quos vetus et noua Lex commemorare ſolet.
Depoſitis poſtquam, fugientes clauſtra, cucullis
Turpiter hi ducunt publica ſcorta, fremunt.
Praeſertim quum non habeant nutrire palatum,
Nec quo conquirant, edidicere, modo.

In pretio tamen esse volunt, magnique videri,
Verba per ampullas prodigiosa loqui;
A cunctis etiam venerari, numina dici:
Sic Curios simulant; Sardanapalus inest.
Hunc vt alant intus, coguntur quaerere technis
Subsidium, dites sub quibus esse queant.
Non opus est aris, latrant: aurata supellex
Quid facit? aut Tyrio murice lana rubens?
Pauperibus potius conflata darentur in vsus;
Hoc se signantes nomine, non inopes.
Ex templis rapiunt argenti vascula sacri,
De quibus affabre pocula facta tenent;
Vrceolosque graues, pelues, lances, paterasque:
Indeque se reputant Regibus esse pares.
Vestibus ex sacris sunt ornamenta luparum:
Hoc opus, exclamant, scilicet esse pium.
Scilicet haec orbis, viduis, miseris, et egenis?
His gelidae spretis vix datur haustus aquae.
Ad se cuncta trahunt: miseri tamen esse videntur:
Nam male parta, diu non bene firma manent.
Quumque nihil restet, quod plus rapiatur ab aris,
Ablatis spoliis templaque fracta vacent;
Et quum sint absumta prius per tempora lapsa,
Sacrilegae furtim quae rapuere manus:
Sumitur increscens vsura foenus, vt illud

Pen-

Pendatur: grauiter mens ſolet intus agi.
Quum poſcit reddi ſibi debita creditor acer,
Hoc opus, hic labor eſt, cumque dolore pudor.
Curritur ad cyathos, auro pateraſque rubentes,
Et quidquid reliquum Laidos arca tenet.
Si forſan fuerit prope, clam Iudaeus apella
Quaeritur: in pignus ſacra rapina datur.
Soluitur aes, ſed cum faſtu, quaſi plura ſuperſint,
Et quaſi theſauros India victa ferat.
Spes vultu ſimulatur: arat penetralia moeror,
Qui tum ſolliciti pectoris ima premit.
Paupertas grauis eſt: animos igitur ſibi ſumunt
Ad quoduis reprobum, dum modo proſit, opus.
Ad quaeſtum faciunt, quaecumque lucella petentes,
Omnia, ſeu ſcribunt, ſeu ſua ſcripta docent.
Quum reboant ex ſuggeſtis, non aera verentur
Poſcere, pro dictis quae vomuere malis.
Nil aliud vehemens oratio continet in ſe,
Quam diras, riſus, ſcommata ſtulta, iocos.
Hic blaterant in Pontifices, ſacroſque miniſtros,
In buccam quidquid mens male ſana gerit.
Probra crepant tumidis et tot conuicia verbis,
Falſaque mendaci non pudet ore loqui.
Blandidici palpant, dant auribus; inde mereri
Praemia contendunt, inde placere volunt.

Vrget

Vrget enim duris feruens in rebus egeſtas,
  Quum domus exilis pane meroque caret.
Thais edax lautas epulas, et dulcia muſta,
  Cum potu Cereris non leuioris auet.
Poſtulat ex auro torques, veſteſque ſuperbas,
  Per quas vicinae par cupit eſſe ſuae.
Quae ſi defuerint, lites et iurgia lectus
  Concitat infauſtus, caedeque ſaepe madet.
Plurima moecha furens cauſſatur, plurima fingit,
  Vel queritur, dictu turpe, neceſſe ſibi.
Vociferantur et inde nothi: ferit aethera clamor,
  Quum nudos vexat non toleranda fames.
Quid tum mens patitur ſcelerum ſibi conſcia? noſcunt,
  Hoc in piſtrino qui modo ſaepe gemunt.
Si tamen ex aliqua diteſcit fraude crumena:
  Tunc gula nec legem, nec tenet ampla modum.
Noctes atque dies tum pergraecantur abunde,
  Et ſine temperie cocta, vel aſſa, vorant.
Hos tu carniuoros, lurcones, et comedones,
  Deuita, quibus eſt venter, et eſca, Deus.
Quandoquidem, quum multa vorent, et plurima potent,
  Perſuadent ſibi, quod regna ſuperna petant.
Nulla ſacri ratio ritus, vel temporis, illis:

Cuncta

Cuncta ſub arbitrium diſpoſuere ſuum.
Quid ſibi non tribuunt? Legis veteriſque nouaeque
Omnia turbantes ad ſua ſenſa trahunt.
Quam ducant vitam, qua ſint ab origine, qua ſint
Doctrina, rabie, quoue furore, liquet.
Hos nunc infelix vulgus miratur, amatque:
O mores! o quae tempora! flere libet.
Orandus Deus eſt, forſan miſerebitur, inquam,
Orandus, toto pectore, mente, fide:
Ad caulas vt oues errantes ducat, et illas
Amplius inſanos non ſinat eſſe lupos.
Fluctibus in ſaeuis eſt Petri cymba frequenter
Exagitata, manens ſalua: manebit item.
Ni fallor, quadringentas huc vſque fuiſſe
A Chriſti ſectas tempore ſcripta ferunt.
Quae, miſerante Deo, periere: peribit et iſta,
Quae de praeteritis nunc noua facta furit.
Firma ſed in fines Eccleſia noſtra vigebit,
Quos cunctis poſuit rebus in orbe Deus.
Nec portae rabidi poterunt Acherontis obeſſe:
Filius hoc ſummi dixit, eritque, Patris.
Hac ſpe ſuffultus, non cures ſcire, quid audis,
Siue legis, turba haec quod male ſana docet.
Tu conſtans operare bonum, mala cuncta caueto:
Numquam conſtituent te bene facta reum.

Te

Te totum dedas domino fine fine perenni;
Illius et fido pectore iuffa tene.
Atque nega tibi te prorfus; diuina voluntas,
Non tua te, quae non eft nifi praua, regat.
Tolle crucem propriam, mundo fis mortuus, hocque
In dubio vitae turbine, viue Deo.
Sobrius aetatem ferua fine labe pudicam,
Coeci ne pueri te mala tela petant.
Non peccant oculi, ratio fi temperat illos;
Nec cor confentit, quod ratione viget.
Si tamen ipfe iuuentutis vehemens calor vrit,
Implora fummi cum prece Patris opem.
Ad facros fugias, poftponens otia, viuos
Scripturae fontes: languidus ignis erit.
Ipfeque decertes, fortis virtute fuperna:
Conatus fruftra, fi Deus abfit, erunt.
Sunt contra carnem, mundum, tenebrafque regentem,
Continue nobis bella, nec vlla quies.
In quibus eft victo carcer fine fine paratus:
Victori caeli ianua fumma patet.
Ad quam contendens, pugna: fuperabis, et hoftes
Firmo certanti pectore terga dabunt.
Haec age fed non cunctanter, monitifque paternis
Pare, quae tibi poft commoda multa ferent.
Hac recta pergas: fcopus hic te ducet ad aftra:
Non

Non defraudabit, quam tibi monſtro, via.
In qua te chartis potes exercere ſacratis;
Ingenium creſcet cultius vnde tuum:
Artibus atque bonis te tradere, diſcere multa,
Eſſem quum iuuenis, quae latuere prius.
Sunt praeceptores; eſt copia larga librorum;
Et loca ſunt votis, vt reor, apta tuis.
Incumbas igitur cura, fidoque labore,
Et ſtudium Sophiae non tibi vile puta.
Cumque tuis etiam tibi ſint commercia Muſis,
Obſcoenos fugiens, vt mala monſtra, iocos.
Caſta placent Superis; caſtum decet eſſe poetam:
Candida ſit vitae pagina iuncta tuae.
Et quum natiuae tibi ſint, me iudice, dotes,
Quae facilem reddent, ad tua plectra, chelin:
Quumque nec egreſſus ſis, conſulo, bis duo luſtra,
Vt per adhuc quaedam tempora prata colas:
Prata ſub Aonio florentia fonte, ſubire
Ex quibus in colles ductor Apollo dabit.
Non procul inde ſitus mons eſt excelſus: in illo
Pythagorae biuium littera fecit iter.
Quo quum concedes, adſcendens linque ſiniſtrum
Ad latus attritam, quae patet ampla, viam.
Multorum ſiquidem, multo iam tempore, preſſa
Eſt pedibus, facilis, plana, retuſa, placens.

Hic ſpirant violae, fragrans et amaracus, inter
Lilia purpureis candida mixta roſis.
Ne te pelliceant iucunda vireta, ſuaues
Aut volucrum cantus, inde reflecte gradum.
Itur enim, ſedes vbi perniciofa voluptas
Conſtituit, multi quo properanter eunt.
Huc tendunt omnes, paullo quos diximus ante,
Turmatim ſecum qui vaga corda trahunt.
Impietas, faſtus, cum luxu ſpurca libido,
Hic habitant, dantes omnibus ante malum.
Declina, propere fugiens: ego, quidquid ibidem
Fit, referam: quondam nam mihi nota loquor.
Tractus eo iuuenis, quae nunc tibi voluitur aetas,
Plurima ſum vitae paſſus acerba meae.
Me rapuit ſpatioſa viae progreſſio lenis:
Ardua, quam cepi, nulla ſubeſſe videns.
Et ſic imprudens trita hac ſum calle profectus:
Hoc rectum mea mens eſſe putabat iter.
Quandoquidem, quod non ſenſi, me daemonis aſtus
Ducebat, genius qui ſolet eſſe malus.
Pergebam laetus: ſpirans redolentia florum
Pellexit liquidi me prope fontis aquam.
Hic omnis generis feruebat muſica circum:
Hic choreae faciles, hic iocus omnis erat.
Organa, ſiſtra, tubae, citharaeque, lyraeque ſonabant;

Orgia

Orgia Lenaei nec tacuere patris.
Pampineiſque pater cinctus ſua tempora ramis,
Siccabat dulci pocula plena mero.
Quem Bacchae medium complexae dulce canebant:
Ridiculos duxit plebs temulenta choros.
Nudis cum Nymphis Fauni, Satyrique bicornes,
Saltabant variis laeta per arua modis.
Coetus Hamadryadum, Dryades, agileſque Napaeae,
Plaudebant comtis flore virente comis.
Multaque texebant ex denſis ſerta roſetis,
Quae per iter ſociis impoſuere nouis.
Vnde coronatus veni, quo plebs in aprico
Gramine ludebat multa, profuſa mero.
Hic iuuenum pulcris formoſa caterua puellis
Iuncta, ſimul cupidis incubuere iocis.
Adfuerant annis etiam ſenioque grauati,
Canitie poterant qui ſuperare niues.
Quos ego mirabar: ludibria namque fuere
Aetati tenerae: ſuſtinuere tamen.
Cantabant, alii ridebant: omnia plena
Deliciis fuerant, laetitiaque pari.
Hic Venus et Bromius conuiuia lauta pararunt,
Et placidis multos adhibuere toris.
Non deerant, quae vina tulit Chios, amplaque Gaza,
Et quae Campanus, quaeque Falernus ager.

Decertabatur cyathis, paterisque vicissim:
Bellum grande quidem, sed geniale, fuit.
Inuitatus ad hos epulones, sponte resedi,
Fraudari genium, dedecus esse ratus.
Inter conuiuas gratus nouus hospes habebar:
Illorum didici scita modosque breui.
Nactus et hic caros comites, plures et amicos,
Commoda persuasi multa futura mihi.
Magna fuit nobis sermonis copia potis;
Ad facinus quoduis indeque magnus amor.
Nil intentatum, quo truserat ebrius ardor;
Nil fuit intactum, mente furente mero.
Iam Tartessiaco se merserat aequore Titan,
Fulsit et ingenti Cynthia plena face.
Discurrebatur per lucos, perque luparum
Antra, furor demens quo faciebat iter.
Confectis tandem vino, lustrisque, rubere
Tithoni rutilis coeperat vxor equis.
Deuentum fuit hinc, poterant procul vnde videri
Atria, mirificis aedificata modis.
Ad quae multiiugae calles, et lata viarum
Strata patescebant, vndique trita satis.
Non opus hic ductore fuit: socii simul acti
Currebant, nulla praepediente mora.
Turpis eo subito properantes vi labor egit,

Pellit vt abductas impius hoſtis oues.
Panditur interea domus altis fulta columnis,
Intus quae magno clara nitore fuit.
Ex auro, gemmis, byſſo, coccoque micabat,
Dulce thymum ſpirans, cinnama, thura, crocum.
In medio late fulſit ſpecioſa voluptas,
Quae ſtantes aulam iuſſit inire foris.
Illecebris ſolitis monſtratis, et tot vbique
Deliciis, omnes traxerat illa cito.
Ingreſſi dominam laeto clamore ſalutant,
Anteque Reginae procubuere pedes.
Haec in puluino ſedit, quem molliter amplo
Infarſit niuei candida pluma cygni.
Strata fuere fabre pictis aſarota tapetis,
Et cathedris auro condecorata ſitis.
Ad ſe mox blanda venientes voce recepit,
Dans placidam cunctis, pulcraque verba, manum.
Protinus et iuſſit reſidere ſuäuiter, illis
Et ſterni lectos, ſtragula picta dari.
Maturant famulae, quarum ſe prima mouebat
Mollities, tenui deſidioſa gradu.
Poſt hanc ſegnities, vertigo rotans, et orexis,
Tuſſis, et infecto lenta grauedo pede.
Has comitabantur febris ardens, et ſitis vrens,
Nauſea, cumque ſuis tarda podagra malis.

Quaeque voluptati gratiſſima ſeruit, ocellis
Proſpiciens patulis, Galla puella ſubit.
Pone ſequebatur ſcabies, nunc aulica dicta,
Vnguentis redolens oblita, pulcra tamen.
Tandem falce metens anus oſſea clauſerat agmen,
Cum reliquis, quas hic non numerare vacat.
Singula quo fierent ex ordine, rector et aulae
Somnus cum ſeruis adfuit inde ſuis.
Principio ſopor, et formarum portitor ille
Terribilis, mentem qui recubantis agit.
Singultus, tremor, et ructus, foetore citatus,
Et vomitus, languor, cumque dolore tumor.
Quos morbo geniti varia ſub veſte ſequuti,
Apta miniſteriis ligna tulere datis.
Turbaque praeterea venientem plurima ſomnum
Stipabat, cuius nomen omitto libens.
Hunc ad ſe vocitans tandem ſatiata voluptas,
Claudere cunctorum lumina feſſa iubet.
Ille leuans virgam, lethaeo rore madentem,
Sparſit: et ex oculis ceſſerat omne iubar.
Mox ſopor inſiluit, laſſiſque labore quietem
Corporibus tribuit: ſed fuit illa breuis.
Namque ſequebantur comites hic ante notati:
Quiſque ſuo fungi munere promtus erat.
Nec minus ancillae fuerant ad iuſſa paratae,
Quae

Quae prius ex titulis iam patuere tibi.
Poſtquam prima quies tranſiſſet, nauſea praeſto
Foeda voluptatis coepit adire locum.
Pro dominaque ſua, quae ſic iniunxerat illi,
Succeſſit, plebis facta magiſtra ſuae.
Cum famulis famulas arceſſens, omnibus aequa
Lance miniſterii munus habere dedit.
Officioſa cohors ſubito mandata peregit,
Exque ſuo fecit nomine, reque, ſatis.
Hinc gemitus, planctus, fremitus, clamorque to-
nabat:
Heu, rerum facies quam miſeranda fuit!
Ipſa voluptatis diſparuit aula repente,
Hoſpitibus rurſus commoda facta nouis.
His, in deliciis et mollibus ante grabatis
Qui iacuere, fuit poſtmodo lectus humus.
In vaſta miſere plerique palude iacebant,
Morbos ob varios qui petiere mori.
Hic philtrum biberat; glutiuerat ille rubetam;
Hic, quod ferre ſuo tempore luna ſolet.
Innumeri mecum, quos ſtillans plurima torſit
Puſtula, tot querulis increpuere modis.
Iamque fere medium Phoebus tranſcenderat axem,
Proſpexi, regio num mihi nota foret.
Quae gens, quae tellus, ſibi quid mutatio vellet

Ista recens, esset cur mihi laesa salus?
Laetitiae nihil hic hesternae, signa nec vlla
Illius exstiterant: omnia plena metus.
Plena doloris erant, discriminis omnia plena:
Anteque mors oculos trux, et amara, stetit.
Quo me cumque tulit visus, loca tristia late
Moerebant, foedis plena cadaueribus.
Hic acies nullae, neque pila minantia pilis,
Inter se diras conseruere manus.
Fecerat hanc tantam stragem sed spurca voluptas
Sordibus Idaliis, Bassareisque scyphis.
Quos prius in viridi ludentes gramine vidi,
Tectos vix vili stramine terra tulit.
Quot iacuere viri, mulieres quotue misellae,
Gallica quos omnes pestis edebat atrox!
Quam plures sanie taboque fluentia crura
Tractantes, putri procubuere solo:
Et cassos oculos, et pus ex naribus actum
Cum naso: iubet hic plura tacere pudor.
Quid memorem reliquos Epicuri de grege porcos,
Praecipiti dederat quos gula multa neci?
Siue frequens illos quos compotatio fecit
Amentes, stolidos, cumque furore truces?
Quos sic expertes rationis, et omnis honesti,
Iusti contingit mentio nulla Dei.

Esse

Esse sibi nati ad turpissima quaeque videntur,
    Et nisi quod potent, et sine lege vorent.
Hos numquam vecors temulentia deserit, vnde
    Et sapiunt, tribuunt summaque cuncta sibi.
Quid non ebrietas committit, et audet in orbe?
    Quod scelus intactum, quod finit illa nefas?
Inter turpe decensque furit, discrimine nullo:
    Saepe putat, quae sunt podicis, esse caput.
Non homines, non illa Deos formidat, in omne
    Promta scelus: posito cuncta pudore facit.
Detrahit, infamat, petulans obscoena profatur:
    Obruta mens quid non dicit, agitue, mero?
Hinc rixae, lites, opprobria, iurgia, caedes,
    Et mala tot, calamus quae numerare nequit.
Haec animi vires eneruat, et hac duce clarum
    Ingenium, sensus, mentis acumen, abit.
Corporeisque bonis, oculis, manibus, pedibusque,
    Et reliquis membris omnibus illa nocet.
Illa ferox omnis morbi, languoris et omnis:
    Quis referat, morti quot dedit ante diem?
Haec tot funeribus campos, dumeta, paludes,
    Strauerat: aegrorum sed neque finis erat.
Hoc foedum vitium praecellit dedecus omne,
    Nec quoduis aliud turpius esse potest.
Hoc, inquam, nullum quo perniciosius exstat,

Me quoque detinuit non ſine pure diu.
Iamque propinquabat, quum ſic perculſus in omnes
Spectabam partes, carnificina mihi.
Commoriebatur prope me iam plurima turba,
Et ſtetit ante pedes meta ſuprema meos.
Mox in me cecidere timor, tremor, et dolor ingens:
Quid facerem, grauiter neſcius ingemui.
Nunc huc, nunc illuc, ſubitis in rebus agebar,
Conſilii, ſenſus, et rationis inops.
Mors oculis, animo flagrantis poena Gehennae
Obſeruabatur, quae data fine caret.
Multa reuoluebam perplexus, et vndique ſeptus:
Nulla ſalutis erat, ſpeſque nec vlla fugae.
Tunc, quam ſit vanum, didici, confidere rebus
Humanis; firmum quam ſit in orbe nihil:
Quodque ſtatu res nulla diu perdurat in vno:
Sed veluti glacies, ſole liquante, perit.
Sic ad me rediens, lacrimis ex corde ſubortis,
Expendi vitae tempora lapſa meae.
In quas aerumnas, in quae diſcrimina totus
Incideram, ſenſi, Numinis actus ope.
Vnde cadens ſupplex, et terrae pronus inhaeſi,
Imbribus et largis immaduere genae.
Summe Deus, dixi, qui verbo ſidera, terras,
Et mare fundaſti, quidquid et orbis habet.

Omnia

Omnia tu noſti: iudex es iuſtus in omnes:
  Supplicibus clemens attamen eſſe ſoles.
Vae mihi, vae, toties quod te, tua iuſſaque liqui,
  Subditus hic ſaeui daemonis imperio.
Quid faciam? quo me vertam? dolor vrget, et inſtat
  Mors mihi, quam video iam prope ferre gradum.
Punior ex meritis, patienter et haec mala porto,
  Quae dedit, heu! miſero vita ſceleſta mihi.
Namque voluptati, virtutis calle relicta,
  Indulgens, factus ſum tibi ſaepe reus.
Hic et ob id ſcelerum iaceo ſub mole grauatus,
  Qua, ſine te, nuſquam me releuare queo.
Huc me gliſcentis dementia prima iuuentae
  Traxit: et hinc poenas omnia membra luunt.
Puteo tabeſcens: lue ſcabra prurit ab omni
  Parte cutis: nec ineſt oſſibus vlla quies.
Erumpunt gemitus vdis cum fletibus ad te,
  In quibus hic veniam, corde tremente, precor.
Turpiter actorum me poenitet, et pudet intus,
  Quae crebro quatiunt cor modo triſte meum.
Crimina tot dimitte mihi, pie quaeſo Creator,
  Nec ſic plaſma tuum putre perire ſinas.
Propitius ſiquidem miſereris, votaque praeſtas,
  Mitis vt exaudit pignora cara pater.

Te moueant igitur lamenta profunda dolentis;
Ex caulis etenim sum pecus, ecce! tuis.
Quippe salutifera lotum baptismatis vnda,
Me crucis ornasti nobilitate sacrae.
Hanc male conseruans, profugus regione sub ista,
Quae merui, factis praemia digna fero.
Adsunt monstra Stygis: rapior periturus ad Orcum,
Si non eripiet me tua larga manus.
Nec mora, nec requies: circumstant vndique sonti,
Et foris ac intus tristia bella mouent.
Corpus ab immenso corrumpitur omne dolore,
Et sibi mens, vitiis obruta, iure timet.
Non sum plus dignus caeli miser astra videre;
Quin minus, vt dicar filius esse tuus.
Tu tamen indignum, genitor mitissime, natum
Respice, compunctis qui pius esse soles.
Si me restitues, mihi sique peperceris, omnem
Diriget hinc vitam flens Metanoea meam.
Da mihi tempus, vt haec emendet pectus iniquum,
Meque tibi reddat, qui tuus ante fui.
Huc, precor, huc adsis, pereunti porrige dextram,
Ex hac me tetra quae cito valle trahat.
Adsertor venias, dux et virtutis ad arcem,
Rursus in illius meque repone viam.
Hoc te, per natum crucifixum virginis, oro,

Per quem fruſtratas non ſinis eſſe preces.
Multaque praeterea ſimili ratione petebam,
Propitio ſubdens omnia noſtra Deo.
Quumque voluntati ſe pectore traderet omni
Diuinae, ſubito mens mea ſenſit opem.
Succreuitque mihi fiducia certa, fideſque,
Et ſpes, quae rebus fulſit amica meis.
Vnde fatigatum planctu, multoque dolore,
Me quidam coepit dulcis habere ſopor.
Quo grata requie per languida membra refecto
Eſt viſus iuuenis carpere clarus iter.
Candida veſtis erat, vultuſque nitore verendus,
Cui cecidi ſurgens obuius ante pedes:
Neſcio, ſi vigilans, aut ſomno preſſus: at ille,
Proximior placide ſic mihi factus, ait:
Quid facis, infelix? huc quis te deuius error
Detruſit? dedit haec quis tot acerba pati!
Iam periturus eras, ſi te non vota preceſque
Iuuiſſent, Superis quae, miſerande, dabas.
Te malus huc genius ſtatuit, me prorſus abacto,
Cum quo tendebas ad Phlegethontis aquas.
Cuius deſertor quum ſis, iterum tibi cuſtos
Sum datus, eſtque mihi tradita cura tui.
Ex hoc te mortis ſtrepitu ſqualloreque ducam,
Sanis ſi monitis gratus adeſſe velis.

Et fiet tibi, ſincero quod corde petiſti:
Tu modo feſtina, quo tibi monſtro, ſequi.
Adtonitus recolens veſtigia viſa ſequebar;
Nox et ab illius lumine clara fuit.
Prolixamque viam dulci ſermone leuabat:
Non erat illa placens, vt fuit ampla prior.
Strictior exſtiterat quaſi ſemita trita parumper,
In multiſque ſcabris ſentibus arcta locis.
Ille meus ductor me confirmauit eundo,
Et mihi pergendi dogmata recta dabat.
Nunc digitis ſignabat iter, nunc ore docebat,
Erudiit monitis meque ſubinde piis.
Vnde, procul denſa mentis caligine pulſa,
Effeci, quidquid iuſſerat ille, libens.
Soſpes et euaſi prope prata virentia tandem,
Pungentes linquens aſperitate rubos.
Quae ſuper inſtabat, gemino qui vertice caelum
Mons ferit, Aonidum ſub ditione, biceps.
Progreſſuſque parum, collis ſublimis acumen
Conſpexi, virtus hic vbi pulcra manet.
Non tamen audebam dubius mihi fidere, ſi res,
Vel ſi vana mihi ſomnia ſenſa darent.
A ductore meo volui perquirere certum
Euentum, terrae quae plaga viſa foret.
Confeſtim circumſpiciens, praeceſſerat ille

Lon-

Longius; oſtendens indicis arte viam.
Expaui ſic deſertus, vigilanſque videbam,
Quae prius in ſomnis rebar adeſſe mihi.
In biuio ſtabam, de quo me praua iuuentus
Fecerat erronem, non tamen abſque metu.
Qui ſemel eſt vſtus, formidat, quum videt ignem:
Ireque, ſaepe cadens, abſque timore nequit.
Non eques eſſe cupit, quem ferrea ſaepe ferocis
Vngula proſtrauit praetereuntis equi.
Sic et eam ſtratam timui ſub parte ſiniſtra,
Territus ex plagis, quas ibi paſſus eram.
Vibices aderant, et adhuc neque vomica crebra
Defuit, et rapido plena tumore cutis.
Sic vbi cognoui, poſt damna peritus, vtramque
Callem, conſilium res prius acta tulit.
Vertit vt a ſcopulo praeuiſo nauita proram:
Sic fugi laeuum, quod reuocabat, iter.
Declinans igitur dextrorſum pergere coepi,
Quo mihi flectebant praeuia ſigna ducis.
Haec ego per corneta videns vepreſque, pedato
Sectabar, nota non mihi calle prius.
Quae fuit aſperior primum, multique laboris:
Non tamen abſtraxit me grauis iſte labor.
Nec me ſtringentes tribuli, ſpinae vel acutae,
Detinuere, nec hinc corporis acre malum.

Processi, vitiis sensim post terga relictis,
Et simul his, mihi quae cara fuere prius.
Et sic aeger adhuc, et fessus, tardius ibam:
Adtriti citius non potuere pedes.
Quod bonus vt genius vidit, fortasse misertus,
Substitit, et lassum iuuit vtraque manu.
Spemque dedit fore, si saltem conarer, in ipsa
Quod notis possem cominus arce frui.
Praeterea multis de rebus multa loquutus,
Viuendi docuit rectius esse genus:
Quod nos a brutis distingueret: hocque probari
Non sensu carnis, sed rationis ope.
Et quod vita bonis aeterna daretur; iniquis
Aeternus Stygia sub ratione focus.
Praecedens iterum iussit me cautius ire
Per quoddam vernans, tempus ad omne, nemus,
Monstrauitque mihi frutices, herbasque salubres,
Ex quibus aegrotos pharmaca cocta iuuant.
Non myrto, neque sandyci, violis vel amoena,
Qualia nuper erant, hic viruere loca.
At, par vrticae foliis, Patientia primum
Hic stetit, et pariter crebrior illa fuit.
Hinc bona Sobrietas, redolensque Modestia mater
Herbarum viridi stabat amicta toga.
Herba pudicitiae gaudens cognomine, iuxta

Floruit hanc, Charitum quae pia nomen habet.
Inde frutex Fidei diſperſis vndique ramis,
Cum reliquis, quas haec germine ferre ſolet.
Ex his collegi medicamina grata ſaluti,
Quae propere vires reſtituere meas.
Firmior hinc factus, comitaui laetus euntem
Sub quaedam celſi culminis alta iuga.
Hicque fatigatum paruo requieſcere fecit
Tempore, dans vitae dogmata ſcita mihi.
Hoc, ait, in ſummi virtus eſt vertice montis,
Quo feror, hoſpitium poſſit vt eſſe tibi.
Tu modo non pigre contendas; forte ſubibis,
Sicque, quod oraſti, poſtmodo, dixit, erit.
Remigioque petens alarum protinus arcem
Virtutis, iuſſit ſe velut ante ſequi.
Ad quam nitebar pertingere, nobile ſignum
Agnoſcens noſtri, montis in arce, ducis.
Hoc ego iam longo ſectatus tempore, pergo,
Conatuſque meos finiet atra dies.
Felix, qui potuit virtutis adire cacumen:
Haec Superûm dignos ſedibus vna facit.
Hanc Graeci vates, hanc laudauere Latini;
Haec et in Hebraicis eſt celebrata libris.
Quam cum diſcipulis tibi ſi deſcribere vellem,
Hoc paruum fieret grande volumen opus.

Denique te nequeo celare, quod hac mihi calle
Pergenti Deus hic dona tot ampla dedit.
Cui quam grata, scies, fuerit, quot et illa beatos
Effecit, veterum si monumenta leges.
O, vtinam numquam liquisset stulta iuuentus
Hoc iter, in quo nunc sudo subinde senex!
Quod possum, praesto: numquam me promta voluntas
Deficiet: solet hanc namque iuuare Deus.
Hoc vt idem facias, nostro discrimine doctus,
Te moneo: procul hinc castra sinistra fuge.
Qui sapit ex aliis, quos imprudentia ducit,
Vt sibi prospiciat, non male, crede, sapit.
Quandoquidem cupidus, quî fiant omnia, scire,
Impingens, auctor fit sibi saepe mali.
Vix ego tam multis euasi casibus actus:
Tu catus exemplo disce cauere meo.
Praeponas oculis igitur, quae foeda voluptas
Praemia mancipiis hoc dat in orbe suis.
Ad dextrum tendas, virtus vbi pulcra moratur:
Ardua sit, liceat, tu modo perge, via.
Nitere conscendens: adeo labor iste molestus
Non erit: illius culmen adire potes.
Hic posuere Dei sudorem: tu quoque suda:
Pertinges, et cum tempore compos eris.

Con-

Contendas fieri formoſi cultor honeſti,
  Vtile quo nullum carius eſſe ſinas.
Abſtineas; patiare libens; quod oportet, et omni,
  Quod potes, incumbas poſſe carere nota.
Ne noceas vlli; cunctis prodeſſe ſtudeto;
  Sis comis, facilis, non tamen inde leuis.
Nec tumeas, generis quod ſit tibi nobilis ortus:
  Sed te demiſſe, cum probitate, geras.
Virtus nobilitat; genus ex virtute probatur
  Nobile, qua ſine nil ſtemma decoris habet.
Hanc ſi conſequeris, te clarum reddet, honorem
  Donabit, carum te facietque tuis.
Externis etiam gratum praebebit: habenti
  Virtutem merito creſcit vbique fauor.
Hoc te complector, quamuis te, quod ſcio, numquam
  Ex facie noui: nec tibi vanus erit.
Tum quod ſis noſtras, tum quod ditione ſub iſta,
  Quam rego, prognatus ſis quaſi verna mihi.
Quin etiam quod te cognoſcens indolis eſſe
  Ingenuae, cuperem rebus adeſſe tuis.
Tu tamen interea, ſi ſit penuria, ſuffer;
  Pſittacus eſuriens dicere diſcit, Aue.
Luxuriant animi, pleno qui ventre rigantur,
  Et ſtudiis proni turpibus eſſe ſolent.

Tu ſtudiis poſſis vt honeſtis ſaepe vacare,
Fraenet temperies hoc iuuenile decus.
Non cibus, aut potus nimius te reddat ineptum,
Litterulis frugi pectus vt eſſe queat.
Commoda namque bonis tua nunc eſt artibus aetas,
Quae breue poſt tempus non erit apta magis.
Experior, quam decreſcat, venientibus annis,
Vis rerum memorans, ingeniique vigor.
Vtere, dum ſanguis calet, et dum taedia deſunt,
Tempore, quo nihil hic carius orbis habet.
Omne cito curſu, ſine ſenſu, labitur aeuum,
Et numquam, paullo quod fuit ante, redit.
Exerce vires animi; poliuntur ab vſu,
Indiga quo quaeuis ars nihil artis habet.
Plurima conſtanti diſcendo quaere labore,
Vt nomen praeſtet re, quod ab ore ſonat.
Nec te detineant torpentis ſacra Vacunae:
Perpes at in ſacris Palladis eſſe ſtude.
Otia quid poſſint, noſcunt, quos coeca libido
Perdidit: haec fugiens, commoda multa feres.
Si careas ſociis, qui nil niſi ludicra ſpectant,
Saluus es: illorum blanda venena necant.
Te doctis coniunge viris, virtute probatis,
Moribus ex quorum ſit tibi vita bonis.
Hic vatum tot fabellas, exemplaque verae
Hiſto-

Hiſtoriae poſſem multa referre quidem.
Talia ſed prudens tibi ſaepe legenda relinquo,
Nempe quod hic ſcribo laudis amore nihil.
Sed magis vt proſim; non, titillare poetas
Quod ſolet, vt dici doctior inde velim.
Haec et ob id properat congeſta paraeneſis ad te,
Vt ſit viuendi regula certa tibi.
Ad quam ſi te compones; te, criminis omnis
Oſorem, faciet ſemper honeſta ſequi.
Teque Deo tradet totum, ponduſque docebit
Te propriae leuiter ferre ſalubre crucis.
Tu modo conatus, ad cuncta ferenda, viriles
Intendas: ſuperat, qui tolerare poteſt.
Cogitur ad metam currens, quod Horatius inquit,
Frigoris ac aeſtus plurima ferre puer:
Faſtidire merum, Cythereae linquere ſordes,
Et placida raro commoditate frui.
Profuit vt multis interdum triſtis egeſtas;
Sic etiam multis copia damna dedit.
Tu medium teneas: mediocriter vt tibi cuncta
Sufficiant, victus ſit mihi cura tui.
Dummodo Pierides, Sophiaeque volumina ſacrae,
Omnis cum ſtudii ſedulitate, colas.
Proficies, de te neque fallet opinio, noſtris
Si morem monitis, vt puto, ſponte geres.

Crescet in his propensa Dei tibi gratia summi,
In qua persistens indigus esse nequis.
Illi caelestes insunt et opes, et honores,
Post miseram vitam qui sine fine beant.
Nec viuos, et se dignos haec deserit vmquam,
Quos fructu satiat fertilioris humi.
Defuit his numquam pastus, vel vestis amictus,
In mitem qui spem deposuere Deum.
Huic tu confidas; fidentem nutrit, alitque:
Sic tamen, vt facias omne, quod ille iubet.
Quod potes, hoc praesta: semper iuuat ille vo-
lentes,
Saepeque propitius sat voluisse putat.
Cor hominis, non rem foris adspicit: omnia nouit,
Estque probae multum simplicitatis amans.
Nil tibi vel tribuas, placeasue, nec altius istis
In rebus sapias, quas modo mundus agit.
Sat tibi sit sed viua fides, quae iussa sacrata
Perficiat, feruens in pietatis opus.
Hanc tibi quo possis operando reddere firmam,
Aduigila: frustra non erit ille labor.
Ille verecundos mores, vitamque modestam,
Et tibi virtutum conferet omne decus.
Et sensus acuet, dabit et rationis acumen,
Qua tu multa legens, plurima scire potes;

Inque virum, parens monitis, fuccrefcere doctum:
   Vnde mihi valeas vtilis effe breui.
Tunc prodeffe tibi, patriaeque, tuifque, quod optas,
   Cum magno poteris laudis honore tuae.
Quod mihi commendas caros in calce parentes
   Carminis, hoc iufta cum pietate facis.
Quos fi quis vero colit et veneratur amore:
   Ille diu viuens profpera cuncta feret.
His nihil hic potis eft de te iucundius effe,
   Quam quod virtutis coeperis ire via;
Quodque bonis ftudiis reddaris promtior, omnis
   Expers haerefeos, daemonis arte fatae;
Et rectae fidei teneas quod firmus amuffim,
   Aethereis poffis iunctus vt effe choris.
Et quum faepe tibi tot faufta precentur, et optent,
   Refponde votis dexteritate piis.
Profequar hos etiam, fiquidem meruere, fauore;
   Te quoque propter eos: res tibi teftis erit.
Dummodo contineas, ferpens contagio ne te
   Inquinet infrenis, quod folet illa, luis.
Conquiras claras, ne te contaminet, artes,
   Quem colis infecta fub regione, locus.
Vtere de facrae fcripturae fontibus ortis
   Antidotis, quae non oblita felle madent.

Sicut apes, quum vere fauos reparant ſibi, flores
Non tangunt hos, qui toxica ferre ſolent:
Nec de mortifera letales ſmilace ſuccos;
Ex dulci capiunt ſed ſua mella thymo.
Elige ſicque bonos auctores, vnde legendo
Relligionis amans doctior eſſe queas.
Ex ſpiniſque, tuos pungentibus vndique ſenſus,
Fragrantes cauta collige mente roſas.
In mediis quum ſis, quae ſunt bona, carpe, venenis:
Ne tamen inficiant pectoris ima, caue.
Interdum proferre ſolet medicamina virus,
Si certum teneat, Paeonis arte, modum.
Rebus in his prudenter agas, illaeſus vt inde
Hinc redeas: hoſpes ſic mihi gratus eris.
Plura loqui tecum cupiens anus haec mea voce
Elinguis tremula, feſſaque tota, fugit.
Hanc traxit tua Muſa recens a Phocidis antro,
Quod repetit, poſthac vix reditura. Vale!

AD
IVVENES SECVLI HVIVS

Hoc epigramma, quamuis *Dantifci* non effet, tamen Carmini Paraenetico et in *Codice Zalufciano*, et in editis exemplis fubiectum eft. Neque nos pellere loco fuo voluimus.

In quibus hoc aeuo Chrifti refpublica nutat
Diffidiis, quis non lippus in orbe videt?
Vnde tot in fectas hominum fententia tracta,
Multorum vario turbine corda quatit.
Quo poffis igitur fugienda relinquere cautus,
Et fectanda fequi, dent tibi lecta viam.
A qua ne titubans dementis opinio vulgi
Te trahat, intendas, Argus vt effe queas.
Atlantis fuge fed, qui nunc creuere, nepotes:
Pectora nam pubis reddere coeca folent.
Quae contacta femel iaculum letale referuant,
Vera falus animae quo vitiata perit.

IONAS PROPHETA

Ita habet inscriptio in *Codice Zaluſciano*. Sed vero *Hoppius*, Schediaſm. Litt. de ſcriptoribus Hiſt. Pol. §. 56. et *Andreas Charitius*, Comment. de viris eruditis, Gedani ortis, p. 37. Vaticinium adpellant, de interitu Regni Poloniae, et Ciuitatis Gedanenſis. In variis editionibus *Ianoſcius* l. c. p. 72. laudat praecipue eam, quae anno 1577. Poſnaniae quaternis prodiit, vna cum *Thomae Samoſtrelicii* Or. in Gedanenſes. Vnde etiam ipſe deſcribendum curauit. Nobis, exemplum ſequutis Zaluſcianum, ſatis viſum eſt ex *Ianoſcii* editione varias lectiones infra adiicere. Aliud, idque valde diuerſum, proditum eſſe accepi in Reſponſoria (*Io. Erneſti Schroëri*) ad *Eliſei Aurimontani* Epiſtolam, (Alithopoli 1638. 4.)

Vrbs noua, diues opum, Dantiſcum, ſiue Gedanum,
Accipe diuina quae tibi mente loquor.
Eſt breue tempus adhuc: ſi non peccata relinques,
Hoc quibus exundas tempore, fracta rues.
Creuiſti cito: ſic etiam Superis male grata
Decreſces; inſtant iam tua fata tibi.
Impietas, faſtus, luxus, tria monſtra, ruinam
Iam tibi, ni fuerint prorſus abacta, parant.
His tribus es iam facta tumens, infrenis, et exlex;
Hinc, quodcumque libet, iure licere putas.
Parſque tui potior, tribus his eſt plena, Senatus:
Humor hic in plebem deuius vnde fluit.

Inter-

Interiiſſe prius propter tria funditus iſta
  Cum populis vrbes, oppida, regna, liquet.
Haec nequit Omnipotens tria ferre diutius in te:
  Quae niſi depuleris, te grauis ira manet.
Iamque tibi excidium gliſcens, cladeınque minatur,
  Ni propere facias, quae mea dicta monent.
In primis redeas ad relligionis auitae,
  Quam te ſcis temere deſeruiſſe, viam.
Non veterum fuge contemnens pia dogmata patrum;
  Et noua, (namque nouum deſpice,) virus habent.
Mentis et inflatae ſinuoſum pone tumorem,
  Ex partis opibus qui tibi magnus ineſt.
Maior honeſtatis, quam formae, cura ſit in te,
  Vt iunctus niteat cum probitate decor.
Virgo tegat patulo turgentes pectore mammas,
  Quae, quaſi proſtitui debeat, ire ſolet.
Non ſit nupta procax, alienis compta capillis:
  Faſcia ne [a] ſuperet, neue tiara, modum.
Serica, cum gemmis et torquibus, exue: veſtis
  Eſt ſatis huic ſtatui lanea digna tuo.
Illa tuos decuit maiores: te malus illam
  Quis pudor hoc itidem tempore ferre vetat?
Siſque poteſtati iurata mente fidelis,
  Sub cuius placido tegmine tuta viges.

Copia

a. nec

Copia te rerum non efferat, aut maris vlla
Profperitas: verti nam folet illa breui.
Poeniteas laefiffe Deum; commiffa fatere;
Et veniam, vita fub meliore, petas.
Linque voluptates, fectas erroris, et omne,
In quo te Domino noueris effe ream.
Et quod adulteriis, ftupris, coenifque per hortos
Peccafti, fupplex corde gemente dole.
Ingluuiem vincant ieiunia, templaque luces:
Quod Thais fuerat [b], fit Metanoea tibi.
Pauperibus largire libens, fratrique remittas
Noxam: quod partum fraude, repende, tenes.
Te nihil hinc fequitur, nifi quod praeftabis egenis:
Hoc fiquidem vita fine carente beat.
Sic eris e multis, quae reftant, libera poenis:
Mitior et fuerit [c] vindicis ira Dei.
Te plagae tandem moueant, iam ter tibi miffae,
Exitium grauius ne tibi quarta ferat.
Ante dedit peftes aer tibi, nuper et ignes:
Quid dederint vndae, non meminiffe potes [d].
Haec fed adhuc tria contemnens elementa fuperbis:
Te faltem reliquum cogat habere metum.
Si cum terrigenis, erit actum, terra moueri
Coeperit; in praedam facta, iacebis humi.

Vltri.

b. Thaifque fuit, c. fiet d. nequis. (Quod rectum.)

Vltrices aquilae commercia publica tollent:
Comprimet annonae Viſtula clauſus iter.
Infantem draco depaſcens tua moenia cinget,
Alite prognatus, cuius es ipſa, Iouis.
Cumque lupis aderunt vrſi, cum tigride pardi,
Cum catulis et item torua leaena ſuis.
Valleris, liceat; iungas quoque Pelion Oſſae:
Non ſecura tamen, ni Deus adſit, eris.
Externis tunc praeſidiis fruſtrata manebis,
Diuitiiſque tuis deſpoliata gemes.
Tunc te deſtituent vires, ornatus, et omnes
Deliciae, quibus es turpiter vſa ſatis.
Quidquid in hortorum latebris, feſtiſue diebus,
Plebs ſpatians geſſit, tunc miſeranda lues.
Impietas, faſtus, luxus, tua numina, tecum
Tunc ſimul in barathrum, quod meruere, cadent.
Admonui quondam Niniuitas: profuit. Et te,
Vt proſim, moneo: ſi capis, [e] adde finem.
Longanimis ſolet eſſe Deus, reſipiſcat vt inde
Peccator, tolerans crimina multa diu.
Quae quum non ceſſant, caſtigat et acrius; adſert
Cum magno poenas foenore ſupplicii.

e. ſapis,

EPIGRAMMA

DE PROCRASTINATA AVDIENTIA APVD CAROLVM V. CAESAREM

Numquam antea editum descripsi ex *Codice* olim *Carnecouiano*, nunc *Zalusciano*, mecum benignissime communicato, in quo insunt "Epistolae, legationes, „responsa, actiones, et res gestae Serenissimi Prin-„cipis Sigismundi primi, Regis Poloniae et Magni „Ducis Lituaniae, annis 1522. 1523." Conf. Reuerendiss. Dni *Ios. Andr. Zaluscii*, Praesulis Kiouiensis, ad *Ang. Mariam Quirinum*, Cardinalem, Epistola: item *Ianoscii* V. C. Catalogus Codd. MSC. Bibl. Zaluscianae p. 35. sq. Illud autem Epigramma, Valdoleti in aula Caroli V. Caesaris scriptum An. 1523. atque huic exhibitum, deinde *Dantiscus* misit ad *Petrum Tomicium*, Episc. Cracouiensem, et Regni Vice-Cancellarium: "vt cognosceret, quod „neque Helicona intactum relinquat, quo minus „res ipsi commissae agantur." Posthaec addit: "Ha-„buique eo die audientiam:

Carmina de caelo vidi deducere lunam.

Quam sit Sarmaticis Orator gratus ab oris,
Inprimis domus, in qua manet, arcta probat.
Et probat hoc, quod eum non vult admittere Caesar:
In nonum trahitur iam sua caussa diem.

Regi-

Regius, o Caesar, si non honor, et sacra iura
 Sanguinis, et si te vincula nulla mouent:
Inclinata tamen te iam respublica flectat,
 Ob quam tam durum per mare fecit iter.
Si nescis, Hunni patiuntur, itemque Poloni:
 Commune exitium non procul esse timent.
Quod si conciderint: (Dii talem auertite casum!)
 Post se, quod reliquum est, ista ruina trahet.
Est graue de is audire tibi: grauiora profecto
 Facta videbuntur, nunc quibus esset opus.
Nunc poteris teneras, si vis, exstinguere flammas:
 Posthac, dum crescent, nulla iuuabit aqua.

EPI-

EPITAPHIVM

MERCVRINI GATTINARIAE CAROLI V. AVG. SVPR. CANCELL.

Epitaphium hoc, et reliqua, honori ac memoriae Viri Summi a *Dantiſco* conſecrata, exſtant inter Epitaphia et Epigrammata aliquot illuſtrium virorum, in funere Mercurini Cardinalis, Marchionis Gattinariae, Caroli V. Aug. Supremi Cancellarii, quae, auſpiciis *Dantiſci* ipſius, cura *Hilarii Bartelephi Ledaei* prodierunt Antuerpiae, ex officina Io. Graphei, An. 1531. quaternis; nunc rariſſima, ideoque indicta etiam *Philippo Frider. Hanio,* Viro Eruditiſſimo, in Memoria Mercurini Arborei a Gattinaria.

Mercurinus in hoc iacet ſepulcro
Gattinarius, omnium perenne
Virtutum ſpecimen, vir acris omni
In re iudicii, ſagax, et aequus
Legum cultor, agens nihil fauore
Aut donis, odio, metuve, totus
Verax, candidus, integerque vixit
Ore, conſilio, fidelitate.
Cancellarius et diu ſupremus
Fuit Caeſaris; hinc rubro galero
Decorus; ſed erat ſub hoc honore
Paruo tempore, Caeſarem per Alpes

Ad Oenum gelidus sequutus aeger,
Adflictus iacuit graui podagra,
Quam multos habuit prius per annos,
In hac iam tenuem ex dolore vitam,
Solutus cruciatibus, reliquit,
Lustris iam prope tredecim peractis;
Et nunc perpetua quiete gaudet,
Quam bonis Deus omnibus parauit.

ALIVD EIVSDEM

Hic iacet exemplum fidei, pietatis, et aequi,
Atlantis nomen cui dedit ipse Nepos.
Cui dedit ingenii vires, et mentis acumen,
Eloquii gratum consiliique decus.
In magnis igitur rebus prudenter agebat,
In quibus ille fuit mortis adusque diem.
Sic constans, fideique tenax durabat in omnem
Euentum, fretus Caesaris auspicio.
Nemo datis, seu promissis hunc flexerat vmquam,
Nec Gallus Rex, quo tempore captus erat.
Diuitiae res sunt fluxae, bona fama superstes
Viuida post cineres nescit in orbe mori.

ALIVD

Virtus, integritas, rerum ſapientia multa,
Recti conſcia mens, relligionis amor,
Hoc vno cum Mercurio ſub marmore, cunctis
Teſtantur, quanta vir probitate fuit.
Omnibus ille bonis ſtuduit prodeſſe; nocere
Nulli; cui potuit, ferre rogatus opem.
Carolus hunc Caeſar non fruſtra luxit ademtum;
Vix vmquam poterit forſan habere parem.
Vtile contemſit, ſolum delegit honeſtum;
Sic viuens nullas adcumulauit opes.
Sed fidei gazas, poſt ſe, cum laude reliquit,
Et pro terrenis poſſidet aſtra bonis.

ALIVD
IN EMBLEMA EX ALTERA PARTE
IMAGINIS ILLIVS AD VIVVM
SCVLPTAE

Sola fides terris Phoenicem ſuſtulit vnam:
Suſtulit ad Superos hanc quoque ſola fides.

EPITAPHIVM

PETRI TOMICII

EPISC. CRACOVIENSIS

Primum editum Cracouiae, An. 1537. quaternis: deinde ab *Sim. Staruuolſcio* inſertum Elogiis ſcriptorum Pol. illuſtrium p. 24. itemque Vitis Antiſtitum Cracouienſium, p. 215.

Hic iacet Antiſtes templi clariſſimus huius,
Gentis Tomiciae, Petrus, in Orbe decus.
E viuis fractus lenta aegritudine ceſſit,
Illi quam Regni ſedula cura dedit:
Ardua tractabat qua ſaepe negotia, magnus
Conſilio, triplici magnus et eloquio.
Iudicio quoque ſublimi, prudentia, et aequi
Cultura, conſtat non habuiſſe parem.
Hunc Aula, et lugens Reſpublica ſentit ademtum,
Cuius praeſidio commoda multa tulit.
Omnibus hic poſt ſe virtutum exempla reliquit,
Per quas, in Chriſto, viuit in arce poli.

ALIVD EIVSDEM

Hoc viuens bustum sibi struxit Episcopus iste,
Prudenter reputans, quod moriturus erat.
Exornauit et hoc pulcrum cum dote sacellum:
Nec desunt Mystis munera larga sacris.
Pauperibus pius, et doctis pater esse solebat;
Nulli, cui potuit ferre, negabat opem.
Quidquid habent Sophiae, duplicisque volumina Iuris,
Hauserat in Latiis, non sine laude, scholis.
Hoc igitur fieri, vita durante, sepulcrum
Iussit, et hic oculis vidit adesse suis.
Qui memor est mortis, metuit peccare: subinde
Peccat, qui mortis non solet esse memor.

Hanc moerens posuit suo tabellam
Patrono, bene et optime merenti,
Dantiscus, requiemque sempiternam,
Cuius subsidio est Episcoporum
Inscriptus numero, pie precatur.

HENDECASYLLABI
AD
GEORGIVM SABINVM
ACAD. REGIOMONT. RECT

Exſtant in *Sabini* Poematibus, p. 308. vbi et illius Hendecaſyllabi, ad quos *Dantiſcus* reſpondet, editi ſunt. Illos quidem, et ceteros ad *Dantiſcum* perſcriptos, infra adtulimus, in Carminum Adoptiuorum Libro.

I.

Reſpondere tuis quidem viciſſim
Cyrrhaeis numeris velimus: at nos,
Curis implicitos negotiiſque,
(Vt ſemper fugiunt ſenes puellae,)
Sueto deſtituunt fauore Muſae,
Quae dant Aonios probe liquores
His, qui ſaepius otio fruuntur.
Quod, Sabine, tibi, tuiſque doctis
Adſeclis, ſine liuida fauemus
Nota; quodque diu geras ſub illo
Felici pariter tenore vitam;
Cum Phoebo fidibuſque, gratioſam
Optamus prope Neſtoris ſenectam.

Nos hic continuo labore torquent
Imo in pectore cogitationes,
Quas reſpublica dat domuſque nobis:
Vnde rara quies ſub hoc tumultu,
Quem fert turbo frequens negotiorum.
Et ſi forte datur ſubinde duri
Qualiſcumque remiſſio laboris,
Non durat: redeunt breui prementes
Angores animum moleſtiores.

Verum, quando ſubit ſuperna rebus
Terrenis meditatio relictis,
Mens curis vacat, et vacat labore.
Sed haec ſtare nequit diu voluptas,
Ni iuſte fuerit Deus rogatus:
Qui quamuis malefacta ſemper odit,
Non odit tamen ille poenitentes:
Sed clemens pater hic grauem remittit
Noxam, dans veniam reis reuerſis.

Hac ſpe viuimus, et laborioſam
Vitam ducimus, haec tibique nota
Vt ſit, ſcribimus ad fluentis Allae
Ripas, qui quoque Bregelam ſubintrat:
Ad vos vnde fit auctior profuſus.
Hos ergo hendecaſyllabos minutos

Boni conſule, mi Sabine, quaeſo,
Non tuis ſimiles Catullianis,
Qui dulces redolent ſalem ac leporem,
Cum multa ſimul eruditione.
Tot annis valeas ſalubriterque,
Quot verſus elegantiores
Quam ſunt, quos ego cudo, praepeditus
Curis continuis, negotiiſque:
Vel quot gratus ager refert ariſtas,
Quum iam Sirius igneus caleſcit.

Quodſi verſiculi parum placebunt,
Quos ex tempore mittimus, volanti
Adſcribes calamo: profectioni
Namque intendimus, ad graues ituri
Tractandum patriae vocantis actus.

Ex Heilſberga, III. Non. Maii, MDXLVI

AD EVMDEM

Ex *Sabini* Poematibus, p. 312. ſq.

Comtas floribus, et roſis nouellis,
Et terrae variis virentis herbis,
Quas hoc ver redolens reduxit orbi,
Nuper docte tuas Sabine Muſas
Vultu vidimus obuias ſereno
In noſtro reditu, fluentis Allae
Ad ripas, modulis ſimul canentes
Pimplaeis reſonans ab ore carmen,
Carmen dulce, ſuäue, perpolitum:
Quod nos exhilarauit ac refecit,
Et, poſt hoc iter, omne, taedioſum
Quod nobis fuerat, placens ademit.
Quare tot tibi gratias habemus,
Quot fert germina nunc humus tumeſcens
Hoc ſub tempore, quo comas reſumunt
Frondentes procul arbores in antris,
Et noſtris prope quae manent in hortis;
Quo iam celſa petunt Oreadeſque
Pindi culmina greſſibus citatis;
Et quo nunc Dryades ſuas choreas

Impigroque gradu ſuas Napaeae
In pratis, et agris, aquiſque ducunt.
Iam quaecumque videntur vndiquaque
In campis, vel in intimis viretis,
Aut in vallibus, aut iugis in altis,
Rident omnia, cuncta laeta rident.
Hoc vt tempore, mi Sabine, feſto,
Quod ſunt pollicitae tuae Camenae,
Quo iam ſingula gaudiis reſultant,
Et quo Spiritus adfuturus ille,
Qui replet pia corda Chriſtianis,
Certo creditur, huc velis venire,
A te poſcimus, ac tui iugalis
Conſortem thalami venire tecum;
Iſinderus item, velimus, vna
Vt tecum veniat vocatus hoſpes.

Pro Volſca tamen Anna ſit Camilla,
Quae Turno tibi geſſit in Latinos
Fidas ſuppetias, deditque, quidquid
Sermonis Latii eſt politioris,
A caro patre, cuius es profunda
Factus ſplendidus eruditione,
Praeclarum quoque nactus es per orbem,
Cum magno pariter fauore, nomen.

Scribenti modo fertur adpuliſſe
Veſtri nuncius huc Ducis Boruſſi,
Eſt a quo mihi litteras amicas,
Pulſans oſtia, redditurus: illum
Dum ſic excipio, receſſit omnis
Conceptus calor, atque me puellae
Solum Pierides ſtatim relinquunt.

At curae redeunt moleſtiores,
Quas reſpublica dat, trahuntque longe
A coeptis numeris: in his morari
Quam gratum fuerit, tibi ſit in te
Teſtis noſter amor, ſibi Sabinum
Promittens animo benigniore,
Quidquid ſcribitur, eſſe metiendum.
Quod ſi forte licentia Catulli
Interdum, vel et vtimur Marulli,
Fit, quum copia largior negatur
Intento grauibus ſubinde rebus:
Si te verſiculi parum diſerti
Huc ducent, ſatis eſt. Vale, venique!

Ex Heilſberga, Non. Iunii, MDXLVI

AD EVMDEM

Ex *Sabini* Poematibus, p. 331.

Perlegi cupide tuum libellum,
Leporis, ſalis, eruditionis
Plenum, quem toties videre auebam:
Ex hoc ingenii libens acumen
Amplexus, numeros, iocoſque dulces
Tranſcurri: neque Pegaſum volantem,
Quem clarum tibi ſtemma iuſſit eſſe
Caeſar, praeterii, nec hoc, amicis
Quidquid Pierides tuae dicarunt.
Dignas hinc tibi gratias referre
Deberem ſiquidem: ſed eſt ſupellex,
Scis, quam curta mihi, ſub hac palaeſtra
Iam pridem qui Heliconidas reliqui.
Ingratus tamen eſſe nolo totus:
Si Lucretia noſtra non placebit,
Quam mitto, veniam dabis: placere
Quod poſſit tibi forte, deinde mittam.

At patrocinio tuo, tuiſque
Doctis hendecaſyllabis, Sabine,
Indignus fuit ille ſordidatus,

Pro quo, tot precibus ſimul profuſis,
Expoſcis veniam, licet ſit vſto
Dignus ſtigmate, contumax Iopas,
Qui tangens fidibus chelyn malignis,
Infames voluit meos fideles
Ciues reddere, dixerat fidem quos
Infregiſſe: docere quod nequibat:
Poenas ferre graues calumniator
Coram iudicio quod ergo fugit,
Leges quas ſtatuere, debuiſſet.

Quod porro quereris, gemis, doleſque
Mortem coniugis, optimique Bembi,
Tecum condolui, piis vtriſque
Orans Manibus, vt quies beata
Detur cum Superis: et hanc vtriſque
Nobis, quando vocabimur, petamus.
Nulli cedere nam ſolet propinquans
Cunctis terminus a Deo locatus.

LAVS VINI

Vini hoc, et insequens Cereuisiae encomium, numquam antea, quantum scio, editum, descripsi ex *Codice Zalusciano*.

Vinum bonum et suaue,
Bonum bonis, prauis graue,
Liquor, nec non sapor, aue
Mundana Laetitia.

Aue, felix creatura,
Quam produxit vitis pura:
Omnis mensa fit secura
In tua praesentia.

Aue, liquor vini clari,
Cuius sapor sine pari;
Tua nos inebriari
Dignetur potentia.

Aue, pulcrum in colore;
Aue, fragrans in odore;
Aue, sapidum in ore,
Dulce linguae vinculum.

Aue, ſalus in modeſtis;
In guloſis mala peſtis;
Poſt amiſſionem veſtis
Sequitur patibulum.

Per te mundus hilareſcit;
Per te honor bonis creſcit;
Omnis largus erubeſcit,
Sine tui copia.

Monachorum grex deuotus,
Clerus omnis, orbis totus,
Bibit ad aequales potus
Tua clara pocula.

Felix venter, quem intrabis;
Felix lingua, quam rigabis:
Felix os, quod tu lauabis,
Et beata labia.

Supplicamus, hic abunda;
Abundantes nos foecunda;
Foecundatos nos emunda,
Per aeterna ſecula.

ENCO-

ENCOMIVM CEREVISIAE

Laudent vinum potatores,
Qui non norunt potiores,
Inter potus, et liquores,
Virtutes ceruiſiae.

Vinum bonum et ſuäue:
Sed quum potas, tibi caue:
Nam probatur eſſe graue,
Niſi ſumtum modice.

Si te quando ſitis vrget,
Torret aeſtus, bilis turget,
Si ſumis, vt ſitim purget,
Sumis cum periculo.

Noſtrum potum ſemper laetum,
Quando placet, citra metum,
Ad iucundum vſque fletum,
Hauris grandi poculo.

Hoc ſi laedit; hac ſanaris,
Edis, potas, reſtauraris:
Hac, vtcumque vis, vtaris,
Magna ſentis commoda.

Salue, felix creatura,
Salue caeleſtis mixtura,
Non natura, ſed coctura
Tritici cum lupulo.

Illud nutrit, hoc emundat;
Illud ſapit, hoc foecundat:
Felix ergo, qui abundat,
Et bibit adſidue.

Felix ter, et felix quater,
Ille Czopek, bonus pater,
Cuius iſte potus ſacer
Semper lauat viſcera.

Hoc liquore comprobatur,
Quod appotus tranſformatur,
Dotes claras mutuatur,
Ante quibus caruit.

Hic ſit fortis et deuotus,
Ille diues, ille laetus,
Hic optimus, hic diſertus,
Hic canit, hic diligit.

Aue,

Aue, bona Dobrinenſis;
Aue, clara Sabbarenſis;
Aue, Sextaferienſis;
O aue Pultouia.

Per vos triſtis hilareſcit;
Salit claudus, paruus creſcit;
Per vos pauper mox diteſcit;
Subditus ſit dominus.

Supplicamus nos potantes,
Veſtras laudes decantantes;
Irrigate nos laetantes,
In aeterna ſecula.

IN LIVIDVM

Adiectum primum fuit Epithalamio, in nuptiis Sigismundi I. Cracouiae excuſo, An. 1512. cuius exemplum ſupra p. 3 ſq. deſcribendum curauimus.

Innumeris toties rugis me, liuide, ſpectas,
Et me per vitrum terque quaterque legis.
Nil metuo ſtolidos de rhinocerote ſuſurros:
Te laedis, dum me laedere poſſe putas.

EPIGRAMMA ALIVD

Si ſeruire velis, tria ſunt, quae mente tenebis:
Non diuinabis; fuge murmur; eſto fidelis.

ALIVD

Poſt tres ſaepe dies piſcis vileſcit, et hoſpes,
Ni ſale conditus, aut ſit ſpecialis amicus.

ALIVD

Hoſpitii rector ſemper ſit laetus, vt Hector;
Vt Iob, ſit patiens; vtque Sibylla, ſciens.

EPI-

EPIGRAMMA ALIVD

In *Codice Zaluſciano* ſuperaddita ſunt haec: "*Ioan-*„*nes Dantiſcus*, Poeta Laureatus, quum plurimis „annis aetatem ſuam Orator Regius, in exterorum „Regum aulis, veluti in exſilio, contriuiſſet; Re-„gina vero Bona Sfortia, omnibus bonis et doctis „inimica, quo minus ei a ſene Rege Epiſcopatus „daretur, impedimento eſſet: hoc epigramma ex „Hiſpania ad Tomicium, Epiſcopum Cracouienſem, „miſit, quo ingratitudinem Regalem, alludendo ad „Sigiſmundum I. Sigiſmundum Auguſtum hunc pue-„rum, et Bonam Sfortiam Reginam, perſtrinxit." Atque ex hoc ipſo Codice primum edidit *Ianoſcius*, in Comm. de libris Pol. rarioribus in Bibl. Zaluſciana P. IV. p. 76.

Qui ſeruit *Pueri*, *Senis*, et *Mulieris* in aula,
A tribus his raro praemia digna feret.
In *Puero* ratio non eſt: quum creuit, adultus
Praeteriti officii non ſolet eſſe memor.
Vita *Senis* breuis eſt; delirat auarus; ab illo
Non aliud meritum, ſpes niſi vana, datur.
Eſt ingrata potens *Mulier:* ſi mille per annos
Seruieris, ſubito mota furore nocet.
Qui ſapies igitur, tribus his ſeruire caueto,
Si poteris vita liberiore frui.

EPITAPHIVM

SIGISMVNDI PRIMI
REGIS POLONIAE

Adiectum est *Sam. Macieiouii,* Episcopi Cracouiensis, et R. P. Cancellarii, Sermoni habito in funere Sigismundi I. Regis Poloniae. Inde depromtum *Ianoscius,* Vir doctissimus et humanissimus, inseruit Schediasm. de litterarum in Polonia propagatoribus, §. XXI. p. 18.

Sigismundus in hoc iacet sepulcro,
Quod viuens sibi prouide parauit.
Primus Sarmatiae potens feracis
Hoc Rex nomine, quem Iagelliana
Ex magnis Ducibus vetus propago,
Gestis, iustitia, fideque clarum
Produxit: quibus et diu Polonos
Rexit magnanimos, eosque multis
Auxit diuitiis honoribusque,
Et tot magnificis vbique passim
Structuris, vt in hac patescit arce,
In templis et item Deo dicatis.

Armis atque toga probe per omnes
Insignis procul inde nationes,
Veri cultor erat, tenax honesti,

Et prudens, ſapiens, pius, modeſtus,
In cunctis ratione ſemper vſus,
Non praeceps, neque concitus notatus.

Tandem tranſiit hinc bis octo luſtris,
Ex hoc pondere corporis, peractis:
Sancte ſicut in hoc agebat, hoc ſic
Eſt iam tempore mortuuſque ſancte,
Chriſtus quo tumulum die reliquit,
Coniunctus Superûm beatitati.

DE
INSIGNIBVS SVIS
A CAROLO V. CAES. IMPETRATIS

Epigramma hoc repetiit, praeter alios, *Io. Dauid Koehlerus* Amoenit. Numiſm. T. XXII. p. 190. *Dantiſcus* ipſe libris ſolebat ſuis praefigere, vna cum inſignibus, qualia conſpiciuntur ſupra imagini eius adpoſita, item apud *Thomam Treterum*, de Epiſc. Varmienſ. p. 109. atque alibi.

Hanc nigram niueamque mihi Iouis alitis alam,
Pro meritis, Caeſar nobile ſtemma dedit.
Quod datur ex atauis, clarum eſt; ſed clarius omne,
Quod per ſe virtus propria ferre ſolet.

IN
EFFIGIEM SVAM DEPICTAM
IN HISPANIA

Ex Autographo primum protulit *Hanouius*, Vir Celeberrimus, in Spicilegio ad *Andr. Charitii* Comment. de viris eruditis, Gedani ortis. Inde depromtum legitur etiam in Miſſu Pruſſico VI. (*Preuſſiſche Lieferungen*) p. 714.

Talis eram, poſtquam ſeptem prope luſtra peregi,
A patria, Hiſpano pictus in orbe, procul:
Hic vbi Baremo Balearibus adiacet vndis,
Sub Valeranis vrbs celebrata iugis.
Hoc ego apud Regem, qui nunc eſt Caeſar, Iberum,
Sarmatiae Orator tempore Regis eram.

ALIVD EIVSDEM

Ab *Dantiſco* adſcriptum eſt ſuae ipſius imagini, quae, teſte *Thoma Tretero*, depicta loc. comm. viſitur in Domo Canonicorum Eccleſiae Collegiatae Gudſtadienſis. "Facies, inquit ille, quadrata, inclinans „ad rotunditatem, obeſior vultus, oculi amoenum „quid ſpirare videntur: cui ipſemet hos adſcripſit „verſus."

Vndecimum luſtrum, menſem tranſgreſſus et vnum,
Talis erat, qualem picta tabella refert.
Quod vitae ſupereſt, ſit te duce, quaeſo, peracta
Sanctius in iuſſis, o pie Chriſte, tuis.

VITA IOANNIS DANTISCI

AB IPSO PAVLLO ANTE OBITVM PERSCRIPTA

Primum ex Autographo Sconouiano edidit *Io. Ernestus Schmiedenius*, Conſul Dantiſc. hoc titulo: "Vita *Io-„annis de Curiis Dantiſci*, Epiſcopi Warmienſis, S. R. I. „Principis, Praeſidis Terrarum Pruſſiae, Viri ſuo „ſeculo ſummi." (An. 1693. quaternis.) Inde recudendam curauit *Andr. Charitius* loc. comm. p. 35 ſqq. et *Ge. Dan. Seilerus*, in Pruſſia Docta, (*Gelahrtes Preuſſen*,) P. III, p. 221. Plenius et adcuratius ex tabula, imagini *Dantiſci* ſuperaddita, quae in Bibliotheca Ampliſſ. Senatus Dantiſcani viſitur, deſcripta atque publici iuris facta eſt, in Miſſu Pruſſico VI. p. 705. ſqq. Id exemplum nos ſequuti ſumus. Nam iſtud, quod ineſt *Codici Zaluſciano*, magna ſui parte mutilum eſt. Lubuit tamen lectionum varietatem cum ex hoc, tum ex *Schmiedenii* exemplo, infra indicare.

Iam tandem tibi, terra, vale mihi dicere mens eſt,
Pertaeſus [a] vitae tempora dura meae.
Hactenus hic vixi, per multa volumina rerum
Verſatus: requies nec fuit vlla mihi.
Anxietas, aerumna, dolor, me ſaepe rotarunt,
Et mihi ſaepe dies, nox et amara [b] fuit.

Et

a. Sic eſt in omnibus exemplis: rectius, Pertaeſo.
b. *Cod. Zaluſc.* peramara.

Et niueis paruum, ſed ab atris linquo lapillis [c]
Non paruum cumulum, quem tibi ſigna dabunt.
Canities longe ante diem mea tempora texit,
Quam nimius labor et ſollicitudo dedit.
Hanc non ambitio fecit, non ardor habendi,
Credita ſed fidei res aliena meae.
A puero nam ſorte mea contentus, habebam
Tunc et in exili conditione ſatis.
At poſtquam me litterulis abſtraxerat aula,
Seruire et iuſſit Regibus illa tribus:
Multis me implicuit per mille negotia curis,
In quibus eſt vitae pars bona fracta meae.
Quae tum ſim [d] paſſus, per quae diſcrimina ſaepe
Iactatus, ſat ſum conſcius ipſe mihi.
Quot terras, et quot peragrauimus aequoris vndas,
Et Solyma, Heſperia ac [e] vtraque teſtis erit.
Pannonis ora duplex mihi viſa; fuique Viennae,
Conuentus Regum quum grauis ille foret.
Caeſaris huius auus victor quum bella ſuperbis
Cum Venetis gereret, qui tria regna tenent:
Nuncius in caſtris fueram ter miſſus ad illos,
Et certa [f] pacem conditione dedi.

c. *Cod. Zaluſc.* capillis   d. ſum   e. *Cod. Zaluſc.* Solymae, Heſperia atque. *Schmied.* Solyma, Heſperiae ac   f. *Cod. Zaluſc.* certam

Quae prope tunc Atheſin, docti patriamque Catulli,
Suſtinui, non eſt, cur memorare iuuat.
Tranſeo, quae gelidis ſum paſſus in Alpibus, et quae
Septus ab armatis non ſemel agricolis.
Ad Belgas tandem vectus; permiſerat hinc me
Annis tranſactis Caeſar abire tribus.
Quum feſſus redii, mora parua dabatur; eundum
Rurſus erat, quo Rex iuſſit [g] abire meus.
Primores iterum toties mittebar ad orbis:
Hic fuit officii mens fideique [h] memor.
Cuncta nihil veritus promiſſa fideliter egi,
In quibus incuſſit res mihi nulla metum.
Audiuit triplici me cinctus Papa tiara,
Et prope Cardinei turba ſacrata chori.
Hoc tum Felſinea, quo tempore Carolus orbis
Imperium cepit Quintus, in vrbe fui.
Teſtis erit facili currens mea carmine *Silua*,
Quam dolor extorſit temporis ille mali.
Ardua tractaui mandata, nec vtile honeſto
Vmquam praepoſui: res facit ipſa fidem.
Non redii diues, peregrini debitor aeris: [i]
Impendique, fuit quod mihi cumque datum.
Sic per bis ſenos Orator Regius annos
Miſſus in Hiſpana ter regione fui.

Vidi-

g. iuſſerat ire h. lingua fideſque
i. contraxi debitor aera:

Vidimus et Daniam, [k] Gallos, Regemque Britannum,
Et tot Germanos Italiaeque Duces.
Saepe mihi fuerat per aperta pericula eundum,
Et clam dispositas saepe per insidias:
Per montes, valles, per plana, per inuia saxa,
Per rapidos fluuios, per vada, stagna, lacus.
Non solum pacis, sed diri [l] tempore belli,
Per cuneos equitum, per peditumpue globos.
Seu pestis, siue aestus erat, seu frigora, venti:
Non intermisi pergere libere [m] iter.
Quid memoro recolens incommoda multa viarum,
Per pluuios, aut per sole liquante niues?
Tot vel ab hospitibus per diuersoria fraudes?
Plus auidi, quam sunt, quum fremuere, lupi.
Non sat erant vmquam data magna viatica nostra; [n]
Atque effluxit [o] et hoc, quod mihi foenus erat.
Nuncius absuerat, puto, nemo diutius vmquam,
Scilicet a patria tam regione procul.
Et quod non fuerim fortassis inutilis, ipsa
(Inuidia hic absit,) res bene gesta docet.
Inscius, atque absens, post factus Episcopus, aulam
Deserui rediens, spesque quietis erat.
Meque Deo totum dedidi, sacrisque dicaui, [p]
Commutans vitae, quod fuit ante, genus.

Et

k. Danum, l. sed crebro m. capere lassus n. nostrum
o. Aes quoque fluxit p. *Schmied. perperam* dicatas

Et ſtatui iuſtam nulli certaminis anſam
Praebere, et pacis commoditate frui.
Hoc ſtudium mihi ſemper erat prodeſſe; nocere
Nulli; diſſidii prorſus habere nihil.
Quod nec [q] fama negat, veſtigia noſtra ſequuta,
Nec, qui me noſcunt, ſecius eſſe ſciunt.
Principibus magniſque viris, doctiſque, probiſque,
Conuixi, fugiens quos mala vita tenet.
Hinc et amicitias nactus, ſocios, et amicos,
Qui me tot ſcriptis viſere ſaepe ſolent.
Inter quos procul eſt Magnus Corteſius ille,
Qui mundi reperit regna tot ampla noui.
Vltra Aequatorem, Capricorni ſidus ad vſque,
Imperat, eſtque mei tam procul ille memor.
Non me faſtidire ſolent Regeſque Duceſque,
Doctorum pariter magna caterua virûm.
Praeterea quibus et numquam ſum viſus, amorem
Teſtantur, miſſis tam mihi ſaepe ſchedis.
Huc veniens igitur mihi cuncta quieta putaui:
Tot curis finem rebar et ipſe meis.
At ſecus euenit: meruerunt crimina noſtra,
Crimina, quae ſummo ſunt manifeſta Deo. [r]
Pro quibus hic, o terra, tuo caſtigor in orbe,
Poſt cineres grauior ne mea poena foret.

Ignis

q. Quod neque

r. Poſthaec verſus ſexaginta octo deſunt in *Codice Zaluſc.*

Ignis ter nocuit, ſegeti neque grando pepercit,
Atra lues pecori, nunc inimicus homo.
Me tamen inſontem recti mens conſcia fulcit,
Suſtinet adflictum meque probata fides.
Laus tibi ſit, Deus o fortis, ſit gloria, et omnis
Gratia: ſum meritus tot mala iure pati.
Hic nihil eſt tutum, firmum, vereque beatum:
Vana caducaque ſunt ſidera, terra, fretum.
Stemma, genus, ſexus, ſtatus, artes, forma, voluptas,
Deliciaeque nihil, quum venit hora, iuuant.
Quid prodeſt tibi theſaurus collectus, auare,
Quem tibi cum lacrimis gens miſeranda dedit?
Non iuuat hic feritas, vis nulla, potentia nulla:
Ibit ad infernas, pauper vt Irus, aquas.
Mors inopi leuis eſt, ſed auaris eſt grauis, vti
Quod nequeant partis ſub Phlegethonte bonis.
Intramus nudi, nudi diſcedimus: et quod
Puluis erat, paruo tempore puluis erit.
Nil ſequitur, niſi quod bene vel male feceris: inde
Quiuis pro meritis praemia digna feret.
Qui tutus vis hinc diueſque migrare, paludis
Horrida vel Stygiae monſtra timere nihil:
Fac bene, dum viuis; nulli ſis cauſſa doloris;
Cuique ſuum reddas; non aliena petas.
Quodque tibi fieri vis, hoc fac omnibus; eſto

Clemens in miſeros, ſupplicibuſque faue.
Inuideas nulli; famam nullius obumbra;
Non credas, loquitur quum mala lingua malum.
Quod ſummum eſt, praecepta Dei non neglige: in illis
Eſt aeterna ſalus, et ſine fine quies.
Haec qui non ſeruat veſtigia, tendit ad Orcum:
Quod ſumus, heu miſeri, qui nihil hic facimus?
Felix, qui moritur ſumta baptiſmatis vnda,
Inuentus nondum criminis eſſe reus.
Nos annis quanto plus creſcimus, impia creſcunt
Delicta in nobis, et genus omne mali.
Iuſtitiam nulli facimus: quod quiſquis amore,
Aut odio valet, hoc iure licere putat.
Vis domina imperium noſtri ſibi vendicat oris:
Eſtque bonis vis haec hoſtis acerba viris.
Hinc pro veraci mendax placet; hinc ſolet eſſe
Pro virtute ſcelus, pro ratione furor.
Sic volo, ſic iubeo, percurrit pauperis agros,
Atque per adflicti diuitis ora ruit.
Immeritis titulos vendit, ſacra vendit ineptis,
Iudiciique nihil dexterioris habet.
Fit nemo quaeſtor, praetor, fit nemo ſenator,
Ni numeret: probitas exſulat, alget, eget.
Nullus auaritiae finis: per faſque, nefaſque,
Si dederis, quo vis, flectitur illa datis.

Si quis adulatur, ſi quis delator iniquus
  Falſa refert, credit, dummodo dona ferat.
Non meritum curat, factumque, nec vtile quaerit
  Seruitium, per quod commoda multa tulit.
Praefertur ſcutum, ſic quod defenderat olim,
  Armaque pacifico tempore ſcabra iacent.
Iuſtitiae nuſquam locus eſt; iniuria regnat;
  Regnat et impietas, perfidiaeque furor.
Dat poenas iuſtus; raro damnatur iniquus;
  Mors datur inſonti, vita necem merito.
Ius emitur; plus iuris habet, qui plus dedit; et lex
  Flectitur, vt flecti cera liquata ſolet.
Omnia vertuntur; pietas oppreſſa ſub ipſa
  Per paucos homines impietate iacet.
Vera loqui pudor eſt; placet adſentatio mendax;
  Integritas vitium, dexteritas ſcelus eſt.
Qui ſimulare nequit, multis imponere, fraudes
  Nectere, nunc talis nullius eſt pretii.
Ille valet, turpi qui nouit viuere [s] quaeſtu,
  Omnibus et nummos accumulare modis;
Prodere, furari, furto et conquirere [t] amicos,
  Officia, et dominos propitios, et opes.
Hi creſcunt, magni fiunt, et honoribus apti
  Creduntur, fidei quum nihil intus habent.

Com-

s. *Cod. Zaluſc.* vincere t. *Ibid.* furto conquirere

Committunt tamen his nunc oppida, caſtra, tribunal: [u]
Quae dum percipiunt, non ſibi deeſſe ſolent.
His impune bonos rabida traducere lingua
Conceſſum eſt, fama quum meliore carent.
Quis feret haec virtutis amans, et cultor honeſti?
Cui talis noſtro tempore vita placet?
Non moror hanc igitur, quum falſa [x] calumnia victrix,
Sit virtus vitium, ſit ſine lege pudor.
Mens hominum peruerſa regit; vis cuncta gubernat: [y]
Eſt ventura breui vindicis [z] ira Dei.
Diſſolui cupio, tibi terraque putre cadauer
Linquere: cum Chriſto ſpiritus eſſe cupit.
Illius fiat, qua fiunt cuncta, voluntas!
In manibus ſortes continet ille meas.
Poſt mortem ſcribi precor hoc epigramma ſepulcro,
Quo me poſteritas hicque fuiſſe ſciat:
Hoc tibi, terra, Vale dico non triſte, vocatus
Ad vitam, cuius tempora fine carent.

u. *Ibid.* tributa, x. *Ibid.* ſit falſa
y. *Cod. Zaluſc.* regat - gubernet: z. *Ibid.* iudicio

IOAN-

IOANNIS DANTISCI
EPITAPHIVM AB IPSO SCRIPTVM
PAVLLO ANTE MORTEM

Hoc, et item alterum, imagini *Dantiſci* in Bibliotheca Dantiſcana publica adſeruatae adſcriptum eſt: hoc ad dextrum latus, alterum ad ſiniſtrum. Saepius vna cum ipſius Vita editum, a *Schmiedenio*, *Charitio*, *Seilero*, aliiſque, exſtat etiam apud *Thomam Treterum*, loc. comm. p. 109.

Iam ſexaginta coeunt et tres ſimul anni,
Hactenus a Superis quod mihi vita datur:
Quum climacterium contingere ſentio tempus;
Vltimus hic multis terminus eſſe ſolet.
Intra quod ſi forte Deus migrare iubebit,
Qui fuerim, paucis iſta notata dabunt.
Aula diu tenuit me regia; miſit ad orbis
Primores, erat hinc infula dupla mihi.
Corpus habet tandem nunc terra; quiete fruatur
Spiritus aetherea, quae ſine fine beat.
Hoc, quiſquis tranſis, mihi quaeſo precare, viator,
Vt tibi poſteritas inde precetur idem.

ALIVD EIVSDEM

Terra tegat carnem; ſit vermibus illius eſca;
In cineres abeat, quod fuit ante cinis.
Ad te, ſumme Deus, contendit ſpiritus; illum
Reddo tibi; redeat, venerat vnde prius.
Ambitio, ſpes, cura, labor, luxus, dolor, et mens
Rebus in humanis irrequieta, vale!
Saluor ab his, et in his dena trieteride et vna
Illecebris, durus quae mihi carcer erant.
Viuimus incerti: poſtquam procul eſſe putabis,
Et minime reris, fata venire ſolent.
Tu, qui ſecurus vis viuere, mortuus eſto
Mundo, et in hoc dubio turbine viue Deo.

IOAN-

IOANNIS DE CVRIIS
DANTISCI
LIBER
HYMNORVM
E BIBLIOTHECA
ZALVSCIANA



HYMNI
AD
IMITATIONEM
PRVDENTII

Hunc nos Librum Hymnorum e *Zalusciano Codice* proferimus. Primam editionem, (Cracouiae 1548. 12.) cui *Stanislaus Hosius* praefuisset, memorat *Ianoscius* l. c. p. 72. non sibi ipsi visam, sed indicatam ab Illustrissimo *Zaluscio*, Praesule Kiouiensi litteratissimo.

Reuerendissimo Patri

Domino D. Samueli

Episcopo Cracou. Regni Pol. Cancellario

Stanislaus Hosius S. P. D

Peruenit in manus meas libellus hic Hymnorum, ad imitationem Prudentii conscriptus a viro quodam pio et docto, qui, modestiae caussa,

 nomen

nomen ſuum edi noluit. Quem ego quum legiſſem, dignum iudicaui, qui manibus omnium verſaretur, quibus pietas cordi eſt, ad quam vehementer libellus hic excitare videtur. In quo memoria Chriſti beneficiorum omnium ita ſub oculos ſubiicitur, vt, quiſquis legerit diligentius, non poſſit eius amore ſingulari non accendi, a quo ſe tantis beneficiis immerentem, quid dicam immerentem? immo vero extrema quaeque ſupplicia merentem, adfectum eſſe recolit. Eſt autem haec admirabilis et ſtupenda quaedam mutatio, dextrae excelſae opus, quod, qui libelli huius auctor eſt, is eadem aliquando fuit infirmitate praeditus, qua ſumus nos. Nam et iuuenis ab iis, quae aetas illa fert, non abhorruit, et bonam aetatis ſuae partem in aula conſumſit, cuiuſuis rei potius, quam virtutis, magiſtra: ita vt longe tum ab illo diſtaret, quem eum nunc eſſe videmus. Dicas ex Saulo Paulum, ex perſecutore factum apoſtolum. Nam vt nos vita nunc noſtra perſequimur Eccleſiam Dei: ita et ille perſecutus eſt olim. Tandem vero miſericordia Dei non poſtremum honoris gradum in ea conſecutus, exuit veterem hominem, nouum induit, et, quanto ſeculi quondam, tanto nunc Chriſti amore exarſit: vt non alia

magis

magis in re, adfecta in hac et aetate, et valetudine sua, quam in iugi Christi beneficiorumque meditatione, versetur. Quod non ex iis, quae scribit modo, verum etiam ex eo colligere licet, quod nullum prorsus diem intermittere dicitur, quo sacris non operetur, quo tremendum illud sacrificium non peragat, in quo omnia simul Christi beneficia repraesentantur. Quis ergo est, qui iudicare deinceps audeat seruum alienum, quum, quem certum nunc etiam sit multis esse peccatis obnoxium, qualis ad vesperam sit futurus, certum esse queat nemini. Sed vt ad libellum redeam, de quo mihi fuit initio sermo institutus, quum nihil in eo repertum esset, quod non pie, sancte, catholice scriptum videretur: quamuis auctoris nomen edi maluissem; quando tamen sic ei visum est, vt anonymus in lucem prodiret, feci satis voluntati eius, ac, suppresso auctoris nomine, typis libellum excudendum curaui. Quoniam vero summa Celsitudini tuae cum auctore libelli necessitudo intercedit, cum hac de caussa tibi potissimum eum dicandum putaui, tum quod solus tu esse videris in Republica Ecclesiastica Regni huius, cui hoc genus scripta merito dicari debeant. Quandoquidem tibi prae ceteris curae est, vt sana in

Ecclesia doctrina retineatur. Quam etiam ob caussam e superiore loco non raro Dei voluntatem, in domo Dei, explicas, ac pro virili tua contendis et elaboras, vt propagetur Euangelium Christi, quod non in verbis scripturarum, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum est foliis, sed in radice rationis. Deum precor, vt pios et sanctos conatus tuos prouehat, quo possis motus citatos, et fluctus, quibus operta propemodum est Ecclesiae nauicula, sedare illius virtute, qui, dormiens excitatus, comminatus est vento, et dixit mari: Tace, obmutesce: et cessauit ventus. Quam nobis non pro nostris meritis, sed pro gratia sua et misericordia concedere dignetur, qui solus imperat ventis, et mari, et obediunt ei: qui te diu nobis seruet incolumem felicemque. Cracouiae, VI. Id. Iul. MDXLVIII.

AD LECTOREM

I.

Non nouem ſororibus,
Apollini nec hos paramus hymnos:
Vngula latex equi
Retectus hic non influit volantis.
Iſte puncta continet
Cruenta Chriſti vulnerum libellus,
Paſſionis et crucis
Necem probroſam, quam ſubiuit inſons;
Nuncque nuper editum
Piis damus lectoribus legendum.
Nil moramur impios,
Eoſque, qui probata cuncta temnunt.
Hoc rudi charactere
Satis pii factum ſibi putabunt.
Auctor his modeſtia
Studens placere, nomen abdicauit;
Non pudore, vel metu,
Sed arrogantia timens notari.
Nam nihil, niſi ſacrae
Crucis volebat inſtitor videri.

LIBELLVS PROLOQVITVR

Ecclesiastico breues
Pro more versus hic vides,
Lector, boni quos consule,
Et simplices ne despice.

Fuco carent: non Aonis
Sunt fonte loti: non olent
Cyrrhae poeticum nemus,
Sed saucium Christi latus.

Hos si probe perpenderis,
Et saepe cogitaueris
Poenas, quibus redemtus es,
Fortasse non fastidies.

Spondeus hic frequentius
Iambi locum pes occupat:
Nec displicebit: est enim
His dimetris accommodus.

Lenis gradus, demissius;
Ferocius, citatior
Profertur: ergo lenior
Est substitutus crebrius.

Nemo modis pungentibus
Rabie litis perstringitur:
Sed hoc cor ardens in Deum,
Qui subleuat, depromitur.

AD

SANCTAM TRINITATEM

DE IEIVNIO QVADRAGESIMALI

Deus pater, natus Deus,
Sanctusque iunctim Spiritus,
Vnus Deus per omnia
Interminata secula:

Exaudi seruulos tuos,
Omni peccato saucios,
In hoc sacrato tempore,
Tristi clamantes pectore.

En, ante nos tuos pedes
Proiecimus, te supplices
Orantes, fusis lacrimis:
Noxas dimitte noxiis.

Fatemur, quod peccauimus:
Malum coram te fecimus:
Hostes voluntatis tuae
Omni sordemus crimine.

Quod hinc meremur, nouimus;
Ad poenas expallefcimus:
Stulte quod egimus, pudet,
Piget, vereque poenitet.

A te cor noftrum tranfiit,
In crebris et fe polluit
His mundi vanitatibus,
Quibus nos oblectauimus.

Iniquitates nos premunt,
Et fecum multos adtrahunt,
Quos peruerfe corrupimus
Exemplo, vita, moribus.

Quis noftrûm te fummum, Deus,
Amauit, atque proximum,
Vt debuit? Quis in tuis
Conftanter vixit legibus?

Fides in ore perfonat;
In rebus manca claudicat:
Haec caritatis eft opus,
Certus falutis et fcopus.

Dolis,

Dolis, probris, verſutiis,
Multis fratres iniuriis,
Et te peccatis omnibus
Indeſinenter laeſimus.

Quid nunc ero miſerrimus?
Latere te non poſſumus,
Claro proſpectans vndique
Quum tu praeſens ſis lumine.

Quo nunc tendemus perfugi,
Deſertores, Apoſtatae?
Turbamur, expaueſcimus,
Aſylum te requirimus.

Tuum figmentum reſpice:
Reuerſos ad te ſuſcipe:
Remitte, quod peccauimus,
Et contra te commiſimus.

Hoc, o beata Trinitas,
Praeſtet tua benignitas,
Immenſa nobis gratia,
In luctu poenitentiae.

AD

CHRISTVM

IV

Creator, Chriſte, machinae
Caeleſtis orbis inclite,
Rerumque, quas complectitur,
Et quidquid illa clauditur:

Quum verbo cuncta feceris,
Fiat, dicens, et iuſſeris
Conſtare certis omnia
Momentis facta tempora:

Humanum de limo genus
Finxiſti terrae protinus,
Subdens hic nobis ſingula,
Quaecumque ſpirant in vita:

Vt te laudemus, cum Patre,
Et Spiritu, pia prece;
In Trinitate ſedulo
Vnum Deum praeconio.

Nemo

Nemo ſed noſtrûm viribus
Hoc praeſtat praeditus ſuis;
Nobis ſi non adfulſeris,
Opem tuamque miſeris.

Vt poſſint, orantes iuua;
Ad teque cordis intima
Adtolle, ne contagiis
Damnemur cum tot impiis.

Da caſtitatis normulam;
Da vitam nobis ſobriam,
Vt rite nunc ieiunia
Obſeruent noſtra corpora.

In his tibi mens dedita,
Tuis ſit iuſſis ſubdita,
Ne nos ſubuertant crimina,
Ad inferos trahentia.

Multos iam petit a tuo
Et a tuorum glutino
Carnis vorax edacitas,
Quam ſuggerit proteruitas.

Hoc noſtro qui nunc ſeculo
Iacent captiui ſub iugo
Monſtrorum, quae palus putris
Sub antro continet Stygis.

Nos inde, Chriſte, libera,
Ad teque ſurſum ſubleua,
Vt ſemper ſimus cum tuis
In arce caeli ſeruulis.

DE
MATRE ECCLESIA
AD FIDELES
V

Materna pandit viſcera
Ad ſe trahens Eccleſia
Omnes, qui prauis actibus
Tetris haeſerunt hoſtibus:

Qui luxui, ſuperbiae,
Voluptatumque ſordibus
Subiecti, temperantiae
Receſſerunt a finibus:

Eoſ-

Eosque, qui se litibus
Contaminarunt, vel iocis,
Vel otiosis fabulis;
Sanctis vt viuant moribus.

Vocatque cunctos omnium
Constrictos fasce criminum,
Vt inde soluat noxios,
Deoque reddat liberos.

Ad hanc ergo matrem piam,
Per poenitentiae viam,
Curramus cum fiducia,
Et caritate debita:

Vt confidentes colligat,
Et a delictis abluat:
Prodamus haec cum fletibus,
Et quidquid turpe gessimus.

Remitti nobis haec reis
Oremus, vt puros ab his
Nos denuo Christus suam
Sumat clemens in gratiam.

Hanc vt poſſimus adſequi,
Gratique rurſus effici,
Simus mites in pauperes,
Facti datores hilares.

Fame tabeſcentes cibis,
Nudos ſolemur veſtibus,
Cunctis et indigentibus
Succurramus petentibus.

Sic nobis caeli ianua
Pateſcet per ieiunia,
Dabitque nobis promtius
Deus, quaecumque poſcimus.

Quare matri nos filios
Eccleſiae ſubmittimus,
Sperantes hinc gratiſſima
Aeternitatis munera.

HYMNI
DE
IEIVNIO QVADRAGESIMALI

IV

Ieiuniorum tempora
Iam profert Quadrageſima,
Seruari quae fidelibus
Mandauit Chriſtus a ſuis:

Vt victu ſimus ſobrii,
Frugi, pudici, ſeduli
In ſanctis ſemper laudibus,
Superno Patri debitis.

Hymnis, orationibus,
Ac implorationibus,
Agentes poenitentiam,
Petamus indulgentiam:

Ne nos deflectat otium,
Ad peccati negotium:
Quaeramus ergo feruidi,
Quae ſunt aeterni gaudii:

Ne vincamur torporibus,
Stertentes in foetoribus
Huius caduci corporis,
Quod hic eſt parui temporis:

Quod floris inſtar marcidum
Fit, qui perflatus vritur.
Nam, labe quum ſit morbidum,
Putens breui corrumpitur.

Quid hoc iuuat, ſuperfluis
Eduliis, vel poculis,
Foueri, quum ſit putribus
Penu futurum vermibus?

Hinc ſomnolenti ſternimur,
Et a Deo diſiungimur,
Donumque Sancti Spiritus
Per crapulam repellimus.

Paralyſis, icteros, febris,
Phreneſis, hydrops, et phthiſis,
Et mortis ex hac omnium
Fit cauſſa fonſque criminum.

Vae nobis! ſi ſic mortui
Occidimus: toruiſſimi
Tortores tradent ignibus
Nos perpetim cremantibus.

Quare linquamus ocyus
Guloſas ſordes, vt pius
Hic Chriſtus nos exaudiat,
Poenis et ex îs eruat.

AD CHRISTVM
IN DOMINICA INVOCAVIT

Dies illuxit haec ſacra
Ab inuocando nomine,
Quam concio fidelium
Ritu celebrat ſupplici.

In hac tuam clementiam
Vdis, o Chriſte, fletibus
Nunc inuocamus, vt preces
Clementer noſtras audias.

Inprimis vt nos adiuues,
Hoc ſacro pronos tempore,
Quo veram poenitentiam
Agamus hoc in corpore:

Rebelle quod ſaepiſſime
Contra luctatur Spiritum,
Erroris et per lubricam
Decurrens concidit viam.

In hoc ſerpens ab inferis
Inſtanter nos hic impetit
Crebris impreſſionibus,
Raptos et a te detrahit.

Si te Deum tentans ferox
Audebat daemon adgredi:
Quid infirmis mortalibus
Vafer mali non ſuggeret?

Victor poſtremo perfidus
Suis aſtutis artibus
Circumuentos crudeliter
Arctis conſtringit funibus.

Hunc in deſerto prodigens
Abire victum iuſſeras:
Hunc, o Redemtor, quaeſumus,
A noſtris pelle mentibus.

Nam nos infeſtat indies,
Quaerens vbique nequiter,
Quem deuoret: nulla quidem
Ab illo nobis eſt quies.

At tu ſuccurre tranſfugis,
In hacque pugna ſauciis
Sis turris fortitudinis:
Sine te nihil nam poſſumus.

Tuis praeſtamus viribus
Hunc contra mundi principem:
Quum nos iuuas, non vincimur,
Sed libertate ſoluimur.

Huius contra nequiſſimi
Nos tela tutos adſere:
Haec, diuina potentia,
Confringe, ne ſint noxia:

Vt hoc ſacro ieiunio
Operum bonorum fructibus
Tibi ſeruire ſtrenue
Sincera poſſimus fide.

AD CHRISTVM
IN DOMINICA REMINISCERE

Sacrata iam lux altera
Sacri ſubit ieiunii:
In hac vt noſtri ſis memor,
Omnes rogant Eccleſiae.

Et vt recordari velis,
Paſtor tuum pius gregem
Benignitate proſequi,
Quam nullus finis continet.

Quis vmquam non ſenſit tuam
Fidenter implorans opem?
Vel vmquam quis deſertus eſt,
In te qui ſperans haeſerat?

Ad te reuerſos ſuſcipis,
Quocumque ſint in crimine;
Se deliquiſſe ſi dolent,
Tuo ſaluantur munere.

Non vis mortem peccantium,
Qui de commiſſis ingemunt,
Ad teque qui ſuſpiria
De cordis imo protrahunt.

Quidquid petunt, das triſtibus
Ob noxas, quas patrauerant:
Remittis veris lacrimis,
A te quidquid popoſcerint.

Nam Cananaea clamitans,
Primo repulſam perferens,
Quum perſeuerat, accipit,
Pro filia quod exigit.

Canis vocari ſuſtinet;
Non partes panis integras,
Micas ſed orans paruulas,
A menſa quae defluxerant.

Sic flens impetrauit fide,
Quam, Chriſte, collaudaueras,
Quae poſtulauit: filiam
Ab hoſte liberaueras.

Ab huius ſolue funibus
Eos, quos captos detinet
Sub mole criminum graui,
Erebi ne dentur ignibus.

Hos daemones fallacia
Onuſtos delictis premunt,
Delectos et iungunt ſuis
Tormentis infernalibus.

Si ſic cadentes liqueris,
Quiſnam iacentes eriget?
Adſis ergo labantibus,
Ad teque proclamantibus.

Dextram tuam, Rex gloriae,
Feſtinans illis porrige:
Depreſſos ad te ſubleua,
Tuis cum Sanctis colloca.

HYMNI
AD CHRISTVM
IN DOMINICA OCVLI

IX

Dies haec Quadrageſima
Oculi ſollemnis dicitur,
Quibus cor mundum te videt,
Si, Chriſte, te lumen tenet.

Te non videbit reſtio,
Impoſtor, lurco, ganeo,
Cupediorum baiuli,
Malae nec vitae ceteri.

Qui ſeruiunt libidini,
Et omni foedo crimini,
Luxu gulaque perditi,
Vitiiſque cunctis obruti:

Deuſque quorum venter eſt,
Carnes vorantes, temporis
Non ſeruato diſcrimine,
Per te dato vel ordine.

Surdos multos, coecos ſimul,
Tuis et a iuſſis procul
Auerſos, hos iam poſſidet
Pluto, ſeruos et obtinet.

Quoſcumque tales repperit,
Mox occupat, nec reſpicit,
Foris quid labris exeat,
Intus ſi vita diſcrepat.

Quum ſanum dogma ſpernimus
Legis tuae, ſurdi ſumus;
Tum ſic nos prorſus implicat,
Auris ne mentis audiat.

Hinc mutos ad preces facit,
Et cogitatus ſuggerit,
Quibus vagi diſcurrimus,
Et vanitates quaerimus.

Pleroſque coecos efficit:
Eos videre non ſinit,
Animae quae ſint ſalubria,
Ad teque perducentia.

Hunc hoſtem, Saluator pie,
Procul, precamur, eiice
A noſtris longe finibus,
Ne ſit nobis conterminus.

Ne cum ſe nequioribus
Domum, mundatam ſcopulis,
Noſtram ſubintret denuo:
Hoc ſolue nos periculo.

Illius arma diripe,
Vinctumque ſemper ſupprime,
Nobis ne poſſit amplius
Fractis nocere viribus.

Ergo voces adtollimus
Ex intimis praecordiis,
Sicut de turba fecerat,
Mulier, quae te laudauerat.

Dicens: beata ſunt ea,
Quae te portarunt, viſcera!
Beata ſunt et vbera,
Quae ſuxiſti, puriſſima!

O Chri-

O Chriſte, noſtro pectori
Tuum verbum fac inſeri,
Vt illud nobis haereat,
Bonoſque fructus adferat.

Hinc vt beatitudine
Tecum fruamur, quam tuis
Promiſiſti fidelibus,
Verbum tuum ſeruantibus.

Hoc fili praeſta virginis,
Tui per vires nominis,
A daemonumque callidis
Nos libera verſutiis.

HYMNI AD CHRISTVM ET ECCLESIAM

IN DOMINICA LAETARE

X

Laetare nunc Hierusalem,
Superni Regis ciuitas,
Typum gerens Ecclesiae,
Totum per orbem conditae.

Laetare, coetum congrega,
Et tristes ad te conuoca:
Christus iubet per gratiam,
Quam cunctis promit obuiam.

Gaudere nosque commonet,
Et exsultare, quos videt
Luctus tulisse perpetes,
Nostras offensas ob graues.

Has pura si confessio
Detersit, et contritio,
Spem profert indulgentiae,
Solando moestos intime.

Ad illum nunc maturius
Nos conferamus, vt pius
Sui nos esca corporis
Et potu pascat sanguinis.

Quo nos malis ab omnibus
Conseruet, in nobis manens,
Et in tentationibus,
Ne vincamur, nos fulciat.

Qui turbam quinque millium,
In monte se sequentium,
Ex quinque pauit panibus,
Et ex duobus piscibus:

Hunc deprecemur, caelico
Nos pabulo famelicos
Vt nutriat, donec sumus
In hac vita superstites.

Hoc omnes a te filii
Tuae petunt Ecclesiae,
O Christe Iesu, da piis
Fructum petitionibus.

Tu vere Pelicanus es,
Qui proprio pullos foues
Cruore, nos alens cibis
Perenniter vitalibus.

Tu dixisti: Qui vescitur
Ex carne, quam dabo, mea,
Aeternum viuet, sentiet
Nec vmquam mortis vincula.

Hanc carnem sanctam per tuam,
Et per tuam clementiam,
Illa nos dignos effice,
Ne te damnemur iudice.

Vt nos huic mundo mortui
Simus, sed in te viuidi
Viuamus, absque termino,
In regno tecum patrio.

Hoc matri cum natis suis
Largire te petentibus,
Cuius caput te noscimus,
Tibique nos submisimus.

Tuis vt pafcamur bonis,
Diebus noftris omnibus,
In monte laetantes tuo
Carente fine gaudio.

In hoc montis cacumine,
Non foeno, fed quod fidere
Ornatur, nos difcumbere
Fac omni, Chrifte, tempore.

AD CHRISTVM
IN DOMINICA IVDICA

Dies haec, Chrifte, Iudica
Vocatur ab Ecclefia,
Qua paffionis iam tuae
Tempus propinquat flebile.

In quo rogas, ab impia
Aeternus vt gente pater
Te liberet, quae cogitat,
Quo te de terris auferat.

Hoc

Hoc poſtulans humanitas,
Mortem paſſura, praeſtitit
Exemplum nobis, vt pium
Adflicti quaeramus Deum.

Hunc interpellas iudicem,
Homo licet, Deus tamen,
Vt a Iudaeis erui
Poſſis, et illis eripi.

Quos adloquutus argui
Vis de peccato: ſed tibi
Quis exprobraret hoc, tuo
Numquam quod haeſit ſenſui?

Qui ſanguinis caſtiſſimi
Concretus es propagine,
Ex Maria neſcia viri,
Caeleſti facta numine;

Carens peccato natus es,
A nobis hoc vt tolleres,
Reddens, quod hic amiſerat
Adam, quando peccauerat.

Prophetae te praedixerant,
Scripturae praeſignauerant,
Te plenitudo temporis
Adeſſe nunciauerat.

In his Iudaeos perfidos
Patens non flexit veritas,
Qui coniuratis in tuam
Tendebant mentibus necem.

Samaritanum nominant,
Te daemonum praeſtigiis
Vſum fuiſſe clamitant,
Blaſphemiiſque perſonant.

Quum te praeferres Abrahae,
Prius Chao qui cum patre
Eras, volebant ictibus
Loquentem vera perdere.

Sed tu cedens, diuinitus,
Ne te viderent, feceras,
Relinquens coecos, ne viam
Agnoſcerent, qua pergeres.

O Chri-

O Chriſte clementiſſime,
Obcoeca ſic, et amoue
Hoſtes, qui nos circumuolant,
Ab inferiſque territant:

Eoſque, quos contra tuos
Famulos inſtigant proximos,
Quos hic habemus vndique,
Prauo ne laedant dogmate.

Erratici ſecum trahunt
Errores, et nos impetunt,
Ac traducunt acerrimis
Mendaciter conuitiis.

Ficte tales quum te colunt,
Plus indies inſaniunt:
Illos vel ad te prouoca,
Vel iuſte tandem iudica.

Huius diei nomini
Satis quo fiat, et tui
Tuti tibi quo ſeruiant,
Fac vindicem te ſentiant.

AD CHRISTVM IN DOMINICA PALMARVM DE PASSIONE

XII

Haec, Chriſte, iam feſtiuitas
Inſtat Palmarum, paruuli
In qua cum turba laudibus
Te ſuſceperunt debitis:

Quum, tanta poſt miracula,
In tot languentes edita,
Aſello mitis inſidens,
Ad paſſionem pergeres.

Sternebant ramos arborum
Et ornamenta veſtium,
Oſanna cuncti vocibus
Tibi canebant obuiis.

Cum laude ſic receptus es
In vrbe, cuius principes
Quaerebant, vt te perderent,
Et te dolis occiderent.

Ad hoc propenſi, callidos
Omnes pertentabant modos,
Quibus caute poſſes capi,
Et abs tumultu confici.

Quod Schariot quum noſceret,
Vt lucrum non amitteret,
Vnguenti fuſi reddidit
Te fur auarus, et tulit

Triginta mox argenteos,
Promittens illis in manus
Daturum te, quod commode
Sub noctem ſperabat fore.

Hanc ante cum fidelibus
Adſeclis coenaſti tuis:
His proditor deterrimus
Iunctus ſedit cum fratribus.

Ad hanc menſam quum corporis
Et ſanguinis ſacraueras
Tui ſacrum myſterium,
Pauiſti mentes triſtium.

A te quod ſumens traditor,
Pedes poſt lotos, ducitur
Ad praeſules a daemone
Templi, furentes crimine.

Quibuſcum tranſegit ſcelus
Coeptum, pro teque protinus
Vt mitterent, perſuaſerat,
Locumque demonſtrauerat.

O Chriſte manſuetiſſime,
Panis noſter dulciſſime,
Edendum te Iudae dabas,
Foedas eius ſciens notas.

Te deprecamur, illius
A fraudulentis actibus
Seruato puro pectore,
Da ſemper nos te ſumere.

AD CHRISTVM

IN HORTO

XIII

Post hymnum dictum, cum tuis
Vndenis sectatoribus,
Subisti montem, consitum
Oliuis, vrbi proximum.

Et hortum, quem crebro prius
Solebas ingredi, petens,
Ad orandum te flexeras,
Tuis idemque iusseras;

Precantes ne tentatio
Somno cogente tangeret,
Moeror quem cordis intimus
Adfert plerumque tristibus.

Ab illis procedens parum,
In terram te prostraueras,
Patremque ter, iacens humi,
Orabas voce supplici:

Vt passionis poculum
A te transiret, felleo
Amarum gustu, continens
Nostrae salutis pharmacum.

Cruentum sudorem sacro
Ex toto fundens corpore,
Contristabaris, aestimans
Mortis graues iniurias.

Et quod frustra pro plurimis
Pati deberes impiis,
In illis quodque perderes,
Quidquid volens impenderes.

Futura qui scis omnia,
Nec te latent praesentia,
Perpendens instantem necem,
Eamdem ter dabas precem.

Sed te voluntati patris
Submittens, praeparaueras
Mentem, passurus omnia,
Quae scripserat prophetia.

In quo te miſſus Angelus
Confortabat fidentius,
Vt ferres cuncta praeſcius,
Hoſtes quae cogitauerant.

Quos exſpectabas iam prope,
Armati qui conuenerant
Cum vinclis, telis, lanceis,
Laternis praelucentibus.

Non abs re, te pauens tremor
In illa nocte perculit,
Humorem purpurae parem
Ex artubuſque protulit.

O Chriſte Rex, anguſtiis
In noſtris huius turbinis,
Haec ſub quo vita voluitur,
Adſis nobis, quum ſoluimur:

Vt nos non terreat metus,
Morituros qui ſolet grauis
In exitu perſtringere,
Et ſpectra multa promere.

Haec ne nos turbent, protege,
Phantaſmatumque reprime
A nobis tum ludibria,
Et cuncta, quae ſunt noxia.

Vt te poſſimus ſubſequi
Ad hortum primi plaſmatis,
Latro quem ſero poenitens
Ingreſſus eſt, te confitens.

Orare nos fac iugiter,
Tentationes fortiter
Per teque nos da vincere,
In hoc et horto viuere.

AD CHRISTVM NOCTIS ET MATVTINO TEMPORE

XIV

O Chriſte, mortis ſenſeras
Quum tempus, quod praefixeras,
Sopore depreſſos graui
Amicos excitaueras.

Qui preſſi moeſtitudine,
Et nocturna formidine
Grauati, ſomno largius
Victi triſtes indulſerant.

Hos tecum ſumens, obuiam
Iuiſti turmis hoſtium,
Quorum dux Iudas oſculo
Illis te ſpurco prodidit:

Interrogans, quem quaererent:
Retro cadebant perfidi
Vocis tuae potentia,
Caeleſti vi perterriti.

Hinc permiſſi quum ſurgerent,
Tibique vincla necterent;
Aurem Petrus ſeruo ſecat,
Quem mox ſanaſti ſaucium.

Capi volens, ſic ductus es
Ad Iudaeorum praeſules,
Conſputus, caeſus, turpibus
Adfectus et conuitiis.

Solus relictus, adſeclis
Fugatis, probra plurima
Es paſſus, ſannas, et iocos,
Ac falſa teſtimonia.

Petrus, cui mens flagrans erat,
Te proſequutus, audiens,
Num de tuis eſſet, negat
Te ter, ſicut praedixeras.

Hunc intuens flentem facis,
Condonans, quod deliquerat,
Suis plus aequo viribus
Infirmis qui confiderat.

Per haec tormenta, saeuiter
Quae tota nocte peruigil
Adflictus toleraueras,
Clementer nos hic visites:

Ne desertores perditi
Ad hostes simus, nec tibi
Iudae iungamur osculo,
Hoc adiumento fac tuo.

Sed, vt Petro, da lacrimas,
Quae nostras culpas abluant:
Cor poenitens in sedulis
Tibi sit iunctum fletibus.

Veniam qui nobis impetrent,
Tuisque iussis alligent:
In hac donec vita sumus,
Nos a te numquam separent.

AD CHRISTVM

HORA DIEI PRIMA

XV

Auroram iam depresserat
Sol igneus, sparso suo
Terris corusco lumine,
Quod fundi coepit vndique.

Horam diei proferens
Mortis tuae primariam,
Mature quae cunctis opus
Dispensat ordinarium:

In quod Iudaei non pigri,
Furiis accensi, traxerant
Ligatum te, per publica
Vrbis malignae compita.

Et te tractatum pessime
Pilato sistunt praesidi,
Accusantes nequissimis
Querelis, et calumniis.

Ad quas nihil quum diceres,
Praeſes mirans interrogat,
Num Iudaeorum Rex fores?
Modeſte cuî reſponderas:

In mundo regnum neſcio,
Sed veritatem praedico;
Illam qui ſectantes colunt,
Meam vocem non reſpuunt.

Praeſes Iudaeis hinc ait:
In quo deliquit, non liquet;
Herodes illum iudicet:
Huius nam ditionis eſt.

Ad illum ſic perductus es,
Qui ſpreuit te, quum redderes
Nullum reſponſum: pallio
Remiſit te ſub candido.

Haec veſtis innocentiam
Colore ſignabat tuam,
Tibi quae tunc opprobrium
Fuit portanti praeuium.

In hac derifus turpiter,
Et tractus non humaniter,
Cepifti multa fcommata
Probrofa, multa verbera.

O Chrifte, Rex altiffime,
Quid nos fumus miferrimi?
Pro nobis quod tot obuia
Volebas ferre fcandala.

Hoc fola fecit caritas,
Ingratos qua nos diligis,
In te: viciffim fcrinio
Hanc noftri cordis infere.

Super te cuncta quo Deum,
Quaecumque funt, potiffimum
Amemus; vt iuffis facris
Parere poffimus tuis.

Ne, quum tribunal vltimi
Iuftum confcendes feculi,
Condemnemur cum reprobis
In fempiternis ignibus.

Sed qui tot falſos iudices,
Pro nobis hic perpeſſus es,
Nos ad beatis debitam
Velis locare dexteram.

AD CHRISTVM
HORA DIEI TERTIA

XVI

Hora diei tertia
Ad praetoris ſubſellia
Reductus, in praetorio
Examinaris denuo.

Iudaei ſaeuis vocibus,
Cruci te figi clamitant:
Sed praeſes, illis aequior,
Cauſſas proferri poſtulat:

Dicens, in te mortis ream
Non inueniri noxiam;
Herodes quam nec repperit,
Inſontem qui remiſerit.

Quaesiuit ergo, quomodo
Te liberaret: ad dies
Solebat festos soluere
Ex vinclis, quem deposcerent:

Homicidam ponens Barrabam,
Et te, qui saluas mortuos:
Occisorem sed eligunt;
Vitae datorem renuunt.

Iudex iniquus audiens
Clamores inualescere,
Volens placere, te rapi
Iussit, flagrisque corripi.

Quibus quum crudelissime
Esses adflictus, indeque
Corona cinctus spinea,
Tulisti multa ludicra.

Turpi salutatus ioco
Rex Iudaeorum, cocceo
Amictu post vestitus es
Per conspuentes milites.

Pilatus te ſic intuens
Adfectum, tamquam condolens,
Satiſfactum ſaeuis putat
Tuis, his poenis, hoſtibus.

Ob id produxit te foras,
Vt mentes ira concitae
Miteſcerent: ſed liuidae
Incendebantur acrius.

Diſciſſum quum te cernerent
Flagellis, plagis, verbere,
Caput tumenſque ſentibus
Sacrum cruorem fundere:

Et obſoleta purpura
Indutum ſtare, perfidi
Conclamant omnes, vt cruci
Te praeſes altae figeret.

Qui vocum tot clamoribus
Illis te victus tradidit:
Crucisque factus baiulus,
Ad mortis ductus es locum.

O proles aeterni Patris,
Nos, Chriſte, quaeſumus, iuua,
Tormenta deflentes tua
In noſtri cordis intimis.

Quae pro nobis ſuſceperas,
Apud te nobis vt dares
Vitam, carentem termino,
Solutis ex hoc ſeculo.

Dolores ob tuos, dedit
Quos carnifex Iudaea gens,
Tibi ſubiecta ſupplicat
Mens noſtra, ne ſe deſeras.

Quae non ingrata queſtibus
Hoc ſe conturbat tempore,
Vt nos damnatis eruas
Ab inferorum manibus.

AD

AD CHRISTVM

HORA DIEI SEXTA

XXII

Eductum quum te plurimae
Viris coniunctae feminae
Ad fontium caluariam
Sequutae sunt cum fletibus;

Conuerfus illis dixeras:
Ne flete me, fed liberos
Ex vobis natos; poftera
Eis praefignans tempora.

Tandem fub ligni pondere
Protractus es grauiffimae
Ad paffionis terminos,
Vrbi crudeli proximos.

Sub hora quum meridies
Calefceret fexta, (quies
Dabatur nulla,) veftibus
Exutus a tortoribus,

In lignum, quod portaueras,
Volens proiectus horridum,
Clauis adfixus per pedes
Manuſque, mox ſublatus es.

Tecumque latrones duos
Adfixerant iuſte reos,
Vt turpiore tollerent
Te morte, ſicque perderent.

Nomen tuum ſanctiſſimum,
Supra ſcriptum linguis tribus,
Te teſtabatur omnium
Pendere rerum Principem.

Orabas pro te neſciis,
Qui circum ſtabant, hoſtibus,
A Iudaeis multis probris
Adfectus, et blaſphemiis.

Siniſter latro te ſimul
Sic inceſſebat: hinc eum
Obiurgans alter, expetit
Regni tui conſortium.

Beni-

Benignus cuî promiſeras,
Eodem venturum die
Paradiſi tecum per viam,
Ad caeli ſummi patriam.

Adſtabat et virgo parens,
Cuius cor mucro perforans
Adflixit, cunctis moeſtior,
Doloribuſque plenior.

Illi Iohannes, qui tibi
Prae ceteris carus fuit,
Haerebat iunctus, triſtibus
Madentes ambo lacrimis.

Cui virginem commiſeras,
Virgo quod eſſet: is ſuam
Hanc ſumſit in cuſtodiam,
Hoc ante quod praeuideras.

O Chriſte Rex, vt ſcriptio
Crucis tuae te nuncupat,
Quo nullus eſt viuentium
Orbis Regum potentior.

Furcae tamen permiſeras
Adfigi te, praedixerant
Vt vates ſacri, pro tuis
In te fide credentibus.

Humanum nempe quod genus,
Homo quod primus perdidit,
Secus nequiuit in tuo
Niſi ſeruari ſanguine.

Amoris immenſi tui
Quis explicet valentiam?
Quo pro ſaeuis lictoribus
Poſcebas ignoſcentiam.

Et graſſatori pendulo
Roganti, quae petiuerat
Pius, dediſti, quem poli
Iunxiſti contubernio.

Sic nobis poenitentibus
Et te vere quaerentibus,
Vt illis, mitis ſubueni,
Nec nos a te ſinas trahi.

Ieſu,

Iesu, per matris anxium
Dolorem, qui per viſcera,
Quae te portarunt, tranſiit,
Tua nos ſalua gratia.

AD CHRISTVM
HORA DIEI NONA

XVIII

Hora iam nona luxerat,
Et diſcurſu conſcenderat
Phoebus conſuetum cardinem,
Suum reſeruans ordinem:

Parentem quum caro tuam
Adſeclae commendaueras,
Vitaeque terminum tuae
Procul non eſſe noueras.

Multis ſannis, iniuriis,
Verbis et multis turpibus,
Adfectus, ac poenis crucis
Te ſaeuiter pungentibus:

Caeleſtis Patris inuocans
Opem, deſertum te querens,
Clamabas voce perſona,
Adſtantes quam deriſerant.

Sitibundo tunc in ſpongia
Fellis tibi dant pocula
Adparitores improbi,
Ex qua guſtans nil hauſeras.

Noſtrae ſalutis haec fuit
Sitis, nos vt de faucibus
Emancipares daemonum,
Quibus prius ſeruiuimus.

Poſt hanc ſitim quum videras
Adimpletas prophetias:
Pro peccatis iam debitum
Nunc eſt conſumtum, dixeras.

Et inde clamans, ſpiritum
Deo Patri dans in manus,
Inclinans ſacratum caput,
Pro nobis exſpiraueras.

Statim terram caligine
Sol, condens ſe, compleuerat,
Creatoris mortem ſui
Dolens turbato lumine.

Templi velum ſciſſum fuit,
Solùmque motu tabuit:
Multae fuere tunc petrae
Diſruptae, prae formidine.

Hinc ex ſepulcris mortui
Egreſſi plures, coetui
Videndos ſe viuentium
Praebebant admirantium.

Adſtans ad haec centurio
Dei te dixit filium,
Taliſque famoſae necis
Nunquam fuiſſe te reum.

O Ieſu, Saluator pie,
Quod re nobis et nomine
Saluandis praeſtitit tua
In nos ingens clementia:

De-

Deſcendens de ſinu Patris,
Hanc noſtri carnem corporis
In aluo caſtae virginis
Sumſiſti, per quam paſſus es;

Nos liberans a crimine,
Et abluens in ſanguine,
Pro nobis fuſo largiter,
Vt tecum ſimus iugiter:

Peccata noſtra deſtruens,
Tecumque configens cruci
Aeternam mortem, ſaepius
Quam delictis incurrimus:

Quas nos miſelli gratias
Habere tantae poſſumus
Amoris multitudini,
Qua nos ingratos diligis?

Tamen grates, humanitas
Quantas valet, tibi Deo,
Cum Patre, cumque Spiritu,
Has ſupplices offerimus.

AD

HYMNI AD CHRISTVM HORA VESPERARVM ET COMPLETORII

XIX

Iam vespertinum coeperat
Adesse tempus, quo domum
Reuertebantur plurimi,
Palmis tundentes pectora.

Hoc insolens spectaculum
Multorum contristauerat
Nam mentes, innocentiae
Quas conturbauerant vices.

Statores tum missi crucem
Quum soluerent, et cruribus
Fractis eos deponerent,
Quos iam necatos cernerent:

Ad te quum, Christe, mortuum
Venissent, os non fregerant
Tuum; sed unus bellica
Latus petiuit lancea.

Mox inde promanans cruor,
Aqua permixtus, fluxerat,
Salutis atque protulit
Spem certam prorſus perditis.

A qua lauamur a tetris
Peccatis, inque ſanguine
Tuo ſaluamur, quo ſumus
Redemti nunc ab inferis.

Quos tu viciſti, liberans
Patres antiquos, diruens
Serata clauſtra Tartari,
Ad illa quum deſcenderas.

Petenti Ioſepho tuum
Corpus, tum praeſes tradidit
Illud, ſepulcro ſindone
Cinctum munda quod condidit.

Inungens hoc aromatis,
Iuſtiſque rite praeſtitis
Cum Nicodemo, quae ſolent
Apud Iudaeos exigi:

Te

Te tumbae clausum postea
Ingenti mole saxea
Communiuerunt, ne sacrum
Illusor corpus tangeret.

Sic iam perfectis omnibus,
A sanctis olim vatibus
Quae libris scripta sunt sacris,
Tuis de passionibus;

Adhuc humatus hostibus
Iacens eras saeuissimis
Terrori, qui signauerant
Specum, custodes iunxerant.

Sed non profecit diritas,
Nec vana curiositas:
Quae tu vis, semper perficis,
Quum nutu cuncta dirigis.

Contra sepulcrum feminae,
Tuae tristes pedissequae,
Procul sedentes, prodigas
Dabant amoris lacrimas.

Quae te viſuras non magis
Putabant: ſed virgo parens,
Vis quam doloris preſſerat,
De te ſpem non amiſerat.

Sciebat, quod conceperat
Te nuncio, praedixerat
Et quae ſenex, quum te tuo
In templo praeſentauerat.

Per Matris has, et per tuas,
O Ieſu, poenas quaeſumus,
A te trahi nos ne ſinas
Per daemonum praeſtigias.

Haerere nos ſemper tibi,
Tuiſque iuſſis obſequi
Concede, baiulos crucis
Tuaeque clemens effice.

Et hac in vita plangere
Tuam nos mortem fac, tuis
In ſacris et veſtigiis
Aeternis iungi gaudiis.

AD CHRISTVM

PASSIONIS EPILOGVS

XX

Iesu placabilissime,
Deus noster piissime,
Homo qui factus es, Deos
Vt nos mortales redderes:

Nostras adsumsisti vices,
Praeter peccatum, virginis
De ventre natus, annuis,
Vt nos, auctus profectibus:

Fame, siti, laboribus,
Viarum lassitudine,
Humanis et adfectibus,
Hominem te verum proferens:

Et quod propter nos ex sinu
Aeterni descendens patris,
In carne nos exsolueres,
Piaculis obnoxios:

Noſtris et in te ſumeres
Peccatis poenas debitas,
Nos liberans ab igneo
Horrendi Ditis carcere.

Quocirca per vitae tuae
Subiſti tempus omnia
Libens, noſtrae deperditae
Saluti conducentia.

Crudelis rex infantiam
Eſt perſequutus, exſulem
Ad fines Aegypti fugans,
Donec mors illum tolleret.

Factus iam paullo grandior,
Iuuentutem parentibus
Subieciſti: poſt in virum
Succreſcens, quid non paſſus es?

Primum tuis a ciuibus,
A falſis atque fratribus,
Ab hoſtibus blaſphemias,
Confictas et calumnias.

Qua-

Quadraginta ieiunium
Dierum poſt baptiſmatis
Seruabas vndas: hinc Satan
Infeſtans te tentauerat.

Phariſaei cum ſcribis truces,
Tuique templi principes,
Oderunt ſemper liuidis
Innoxium te mentibus.

Te ſaepe captiunculis
Adgreſſos propulſaueras,
Et quum tenere iuſſerant,
Nolentem te nequiuerant.

Sed quum volebas, obuius
A te ſtatuto tempore
Illis vltro proceſſeras,
Vt ante deſtinaueras.

Non proditoris oſculum
Fugiſti, nec ſatellitum
Manus feroces, funibus
Quae te duris obſtrinxerant.

Perpeſſus plagas, verbera,
Contemtum, ſputa, iudicum
Iniquorum ſententias,
Voces et multas improbas.

Flagellis caeſus aſperis,
Compunctus ſpinis verticem,
Dextra ferens arundinem,
Sub veſte riſus hiſtrica.

Infamem ductus ad crucem,
Illi ſuſpenſus, ludicris
Correptus probris, felleque
Potatus, poſt et mortuus.

Haec cuncta, pro nobis reis,
Multis peccatis foetidis,
Ferebas in nos feruido
Ex caritatis vinculo.

At nos viciſſitudine,
Nec vlla gratitudine,
Tibi rependimus vices,
Peccantes hic compluries.

Adhuc tamen nos ſuſtines:
Reuertendi tempus ſoles
Largiri cunctis, ad tuam
Recurrant qui clementiam.

Per paſſiones has tuas,
Dolores et grauiſſimos,
Et per tibi turpiſſimam
Inflictam ſaeuiter necem;

Iam rite quam ieiunio
In hoc recordamur ſacro,
Agentes, quas mortalitas
Poteſt haec noſtra, gratias;

Oramus te, qui ſingula
Iam perſoluiſti debita
Pro nobis, nos a crimine
Tuo lauans in ſanguine;

Memor ſis, quae ſubſtantia
Sit noſtra, qui manentia
Hic non habemus tempora,
Quae fluxa ſunt, et turbida.

Nos daemon, mundus, nos caro,
Fragiles infeſtat ſedulo:
Tua ſola potentia
Sumus fortes et gratia.

O Chriſte, nos hic adiuua
Tua protenſa dextera,
A tot ne vincamur malis,
Qui nos perturbant, hoſtibus.

Et maxime quum iuſſeris
Corpus dari ranunculis,
In hac hora tunc vltima
Adſis tua praeſentia.

Adſitque nobis inclita,
Quae te tulit, puerpera,
Mater, non cognoſcens virum,
Per Sanctum facta Spiritum.

Sicut pendenti ſub cruce
Tibi dolenter adſtitit,
Fac, vt nobis in exitu
Haec conſolatrix fida ſit.

Hoc

Hoc praesta nobis cum Patre,
Et cum spirante Flamine,
Vnus Deus, Iesu pie,
Per gloriam mortis tuae.

AD MARIAM VIRGINEM
DEI MATREM DE EIVS COMPASSIONE

XXI

Quo te, parens moestissima,
Modo debemus adloqui
Hoc passionis tempore
Tui dilecti filii?

Cuius mater doloribus
Adstabas tristis anxiis,
Videns poenas grauissimas,
Quas perferebat innocens.

Qui nemini mortalium
Plus, quam tibi, notus fuit,
Sciens, quod hunc conceperis
Virgo manens diuinitus.

Et esse vere filium
In has terras altissimi
Demissum, nos vt solueret
Ab inferorum tribulis.

Erat tibi nec abditum,
Senex quod dixit Simeon,
In vlnis hunc tenens suis,
Quem templo praesentaueras.

Gladius doloris cor tuum
Tunc pertransiuit intimum,
Iudaei quum concurrerent,
Et comprehensum ducerent:

Per proditorem venditum,
Captum, vinctum, caesum, probris
Et adfectum turpissimis,
Ad totque ductum iudices:

Tandem damnatum protrahi,
Famosam portantem crucem,
Verecundeque propriis
Exutum stare vestibus.

In

In lignum poſt ferociter
Deiectum, clauis perfodi
Manus extenſas, et pedes,
Ab impiis lictoribus.

Adfixum ſic per machinas
Leuari, perſtrepentibus
Neruis, pendere ſaucium
Inter latrones noxios.

Quae tum materna viſcera,
O virgo mater, paſſa ſunt,
Quis exprimet? quis ferrei
Cordis deflens non ingemat?

Hinc fido cum conſortio
Te nato iunxiſti tuo,
Iudaeorum nihil timens
Saeuas frementium minas.

Audiſti ſtans natum tuum
Tot ſannis et blaſphemiis
Illudi, ligno ſolueret
Vt ſe ſic, et deſcenderet.

Audiſti, latroni dari
Caeleſtis horti copiam,
Preces pro ſanguinariis
Fundique traductoribus;

Et te commendari prope
Stanti ſectatori, tuae
Quod menti poenas auxerat,
Quas moeror intimus dabat.

Audiſti poſcentem patris
Opem, ſuperne deſeri
Querentem ſeque, quo fuit
Deriſus a tortoribus.

Quaecumque vult, potens agit;
Volens ſe morti tradidit,
Surgenſque cum potentia
Terrae mouebat abdita.

Sub mole ſaxea iacens,
Ex hacque victor exiens,
Vanos cuſtodes terruit,
Stygiſque clauſtra diruit.

Quo-

Quocumque vult, ingreditur:
Sentitur, et cognoſcitur
Ab îs ſolum, qui candido
Sunt, abſque labe, pectore.

Hoc et videtur intime
Firma fide quotidie
In arae viuus hoſtia,
Per verba quam facit ſua.

Et quum ſitiret, poculo
Potari ſelle putrido:
Quod intuens, caſtiſſima
Scindebantur praecordia.

Quum conſummaſſet omnia,
Audiſti voce feruida
In Patris aeterni manus
Suum mittentem ſpiritum.

Et quum ſic exſpirauerat,
Vidiſti longa cuſpide
Tranſfigi ſacratum latus,
Pectus quod punxit et tuum.

Perſeuerabas ſedula,
Adſtans pendenti mortuo,
Corpus donec deponerent,
Sepulturaeque traderent.

Quis enarrabit lacrimas,
Luctum, dolores aſperos,
Emiſſa tot ſuſpiria,
Et tot lamenta triſtia?

Die quae tota ſuderas,
Haec quum praeſens adſpexeras,
Ad vſque mortem perfici
Quae ſancti teſtantur libri.

O Regis aeterni parens,
In caelo cui nunc adſides,
Tuam per condolentiam,
Nobis precare gratiam.

Et per tuas poenas graues,
Quas pertuliſti plurimas,
A nato nobis impetra,
Quae ſunt ſaluti proſpera.

In

In hora mortis iungere
Nobis, et nos tunc adſere,
Hinc exituri quum ſumus
A daemonum terroribus.

Vt te iuuante liberi
Ab illis, ex hoc ſeculo
Migrantes, conſortes tui
Perennis ſimus gaudii.

AD
CHRISTI FIDELES
EXHORTATIO

XXII

Chriſti fideles qui ſumus,
In hacque Quadrageſima
Compleuimus ieiunii
Sacri ſtatuta tempora:

Et qui per ſanctos hos dies,
In vera poenitudine,
Pro noſtris corpus flaccidum
Delictis caſtigauimus:

Grauique nos a crimine
Purgatos conferuauimus,
Et pauperes refecimus,
Nec proximos offendimus:

Deoque, quantum debilis
Niti poteft humanitas,
Inhaefimus, non otio,
Torpori nec feruiuimus.

Sed paffionis et crucis
Poenas ex corde luximus,
Gratefque pro tot egimus
Donis, hic quae percepimus:

In îs fi quid profecimus,
Chriftus dedit petentibus,
Dabitque noftrae munera
Saluti conducentia.

Ad hunc noftrae vitae ducem
Et auctorem mens impigre
Recurrat: noftra fufcipit,
Suofque numquam defpicit.

Die reſurgens tertia,
Cum magna lucis gloria,
Nos ſurrecturos cum ſuis
Poſt mortem iunget angelis.

Potens nam cuncta, quae polus
Solumque clauſa continent,
Gubernat, fecit; omnia
Per illum ſunt et condita.

Quaecumque vult, potens agit;
Volens ſe morti tradidit,
Surgenſque cum potentia
Terrae mouebat abdita.

Sub mole ſaxea iacens,
Ex hacque victor exiens,
Vanos cuſtodes terruit,
Stygiſque clauſtra diruit.

Quocumque vult, ingreditur;
Sentitur et cognoſcitur
Ab îs ſolum, qui candido
Sunt, abſque labe, pectore.

Hoc et videtur intime
Firma fide quotidie,
In arae viuus hoſtia,
Per verba quam facit ſua.

Hac vt futuris Paſchatis
Nos in diebus nutriat,
Rogemus omnes ſtrenue,
Clamore mentis integre.

Carnem ſuo cum ſanguine,
In forma panis incliti,
Nobis dabit credentibus,
Vt ſimus cum viuentibus.

Nam dixit: Hoc qui veſcitur
Digne manducans, horridae
Expers mortis, victurus eſt,
Quae nullo fine ſoluitur.

Ad hoc precemur Virginem,
Vt nos iuuet, de qua Deus
Hanc carnem ſumſit nobilem:
Salubris ſic ſiet cibus.

Haec dignos, per ſuas preces,
Nos reddet hoc edulio,
Quo vita nobis ex eo
Donetur abſque termino.

DE
GLORIOSA RESVRRECTIONE
CHRISTI

XXIII

Nunc gaudiorum tempora prodeunt:
Luctus dolorque cum gemitu procul
A mente pellantur fideli,
Laetitia redeunte cunctis.

Natus ſuperni nam Patris vnicus
Ex matre, caſta virgine, noxios
Nos a Gehenna liberauit
Horribili, meritiſque flammis.

Et morte victa vicit et inferos:
Illis ſubactis, Tartara diruit,
Secum reducens, poena quondam
Quos habuit vetus illa captos.

Hunc, gloriosum sidera quem colunt
Regem, sepulcro signaque saxaque,
Et territi custodientes,
Non poterant retinere clausum.

Surrexit, et non legibus amplius
Est mortis vllis subditus: hanc enim
Subiecit, et iam nos ab illa
Perpetua moriens redemit.

Nobis salutem morte dedit sua
Numquam caducam, ciuibus et poli
Nos iunxit aeterni triumphans
Arce sui Patris in suprema.

Nunc ergo laetis cordibus intime
Gaudere debent Christicolae, fides
Quos sancta mundauit lauacro,
Fecit et esse Deo propinquos.

Et qui, perosi pondera criminum,
Vitae probatae quaerere semitas
Coepere, publicis omissis
Callibus ad Phlegethontis vndas:

Isti resurgentis pia gaudia
Christi canoris laudibus occinunt,
Et spem beatam consequuntur,
Qua superis sociantur oris.

Et Christus illos propitius Deus
Numquam relinquit rebus in omnibus:
Solatur aduersis, eosque
Protegit et reficit secundis.

Nos ergo, qui peccata reliquimus,
Surgamus, et Christo prope pectore
Iungamur omni, nec moueri
Nos ab eo magis hic sinamus.

Sed gaudeamus, cominus angelis
Sanctisque cunctis mentibus additi,
Qui siderum gaudent in orbe,
Perpetuo modo quo fruuntur.

His iuncta clementis genetrix Dei,
Quae moesta lugens sub cruce constitit,
Nunc gaudet adsistens Tonanti,
Laeta suo sine fine nato.

Quem ſaepe nobis propitium facit,
Lapſis vt indulgenter opem ſuam
Impartiat: perimus omnes
Illius auxilio carentes.

Quo nullus vmquam tempore nec loco
Quocumque, firma qui petiit fide,
Deſertus eſt: ſed corde tantum
Hoc humili venit inuocandum.

Laetemur ergo Paſchatis hoc die,
Quem fecit heros maximus optimus,
A mortuis victor reſurgens,
Viuificans recreanſque cuncta.

Caelum ſerenum laetius emicat,
Lucemque Titan auricomus ſuam
Iam protulit feruentiorem,
Cum niuibus glaciem reſoluens.

Ridens apricus nunc ager exhibet,
Quae ſeminauit villicus accola:
Herbas humus floreſque promit,
Germinibus variis vireſcens.

Ridentque montes, prataque vallibus
Adiuncta, fontes, cum prope riuulis
Amnes, lacus; et quidquid vndis
Viuit, in hoc modo vere ridet.

Testantur omnes gaudia bestiae
Christi resurgentis, genus omneque,
Pennis quod aura sustinetur,
Quidquid et hoc in habetur orbe.

Gaudere iucundis homines modis
Debemus et nos, dulce melos simul
Nunc annuo laetis sonare
Vocibus hoc canitur quod vsu.

Christus resurgens ex crucis horridae
Mortisque poenis victor ab inferis,
Nos gaudiis replet supernis,
A laqueis stygiis solutos.

Solamen et vult esse fidelibus
Vitam per omnem, post et in exitu
Cunctis futurus, quando finis
Vltimus adfuerit, receptor.

DE RESVRRECTIONE

Chriſtus, perpetuae ſalutis auctor,
Confractis Acherontis ampla clauſtris
Deuicta retulit tropaea morte:
Ex qua vi propria Patris reſurgens
Aeterni ſoboles redemit omnes
In fontis fidei lauatione,
Qui nomen fuerint ſuum profeſſi.

Chriſtus non moritur magis, nec illi
Mors vltra dominabitur: ſubactam
Hanc nam morte ſua tenet, premitque,
Vt poſthac nequeat nocere nobis
Peccato, quia mortuus reuixit,
Vita perpete cum Deoque viuit,
Vt nos participes ea coronet.

Hymnis nunc ſimul ergo Chriſtiani,
Et laetis modulis, pium ſonemus
Carmen, quod triduo iacens ſepultus
Surrexit, moriturus inde numquam,
Spem vitae miſeris ferens perennis,
Chriſtus perpetuae ſalutis auctor.

HYMNI
DE
RESVRRECTIONE

XXV.

Aeterno genitus de patre filius,
Poſtquam principio, quo prior exſtitit,
Verbo cuncta ſuo, quae tenet ambitus
Caeli, condiderat, quidquid et vndique
Vel viſu capitur, quodque capi nequit,
Nos, quos primus homo perdiderat volens,
Vt ſaluaret ab hoc interitu graui,
Deſcendens Deus ex Virgine prodiit
Verus factus homo, ſed ſine crimine.

Hoc vt pelleret, ac inde reſolueret,
In poenis Erebus quos habuit diu
Detentos ſub aquis flammeus igneis,
In ſe noſtra pius debita ſuſtulit,
Adfigenſque cruci, reddidit omnia
Patri morte ſua, ſicque retexuit
Ex ſtrictis laqueis noxia nomina.

Ad caelos et iter quod fuit inuium,
Cunctis reſtituit planius, aſtraque

Per lucentia nos, ad ſua gaudia,
Poſt ſe victor ouans traxit ab inferis,
Mandatis, voluit, legibus et ſuis
Vt mens noſtra ſit hic attamen obſequens.

Contendamus in hoc ergo viriliter,
Conatus ſiquidem protinus adiuuat
Feruentes, et adeſt corde precantibus
Sincero: famulos nouit enim ſuos,
Quos verae fidei gratia continet,
Quam poſcentibus hic dat, negat impiis.
Hanc qui non cupiunt, nec capiunt, putant
Nuda ſe fieri conſimiles fide
Cum ſanctis: igitur ſaepe licentius
Spernentes oculis facta boni ſtudent,
Immerſi vitiis innumeris, quibus
Oblectant animos, his et inambulant.
Hi fidunt propriis ſenſibus, et tibi
Iunctos ſe ſimulant, Chriſte piiſſime,
Multis criminibus turpiter obruti
Carnis, carniuori, moribus improbis
Viuentes, nihil ex aethere Spiritus,
Quem pellunt, ſed habent ex Styge plurimum,
Quo ducti peragunt omnia libere,
Quae mundus ſtolidis ſuggerit, illitis

Foc-

Foedis deliciis fraudeque daemonum:
Sed quorum pereunt praecipites iugo,
Et te defugientes, furialibus
Submittunt misere se cruciatibus.

Et his eripias nos tibi subditos,
Et qui sub pedibus te petimus tuis
Prostrati, recolentes tua vulnera
Et mortem, crucis huius quoque gloriam,
Qua victor rediens, Tartarici canis,
Ne nos terreat hic, ora latrantia
Clausisti, spolians, regnaque supprimens
Ditis terrifici, multaque corpora
Surgens ex tumulis viua reduxeras,
Laeti quae Paradisi retinent loca.

Quo nos post obitum duc miserabiles,
Qui rorantibus ad te lacrimis ades,
Et, quum de Superis buccina perstrepet,
Dicens horrisona voce iacentibus
Postremum sub humo iudicii diem,
Ex tumbisque cauis nos simul erutos,
Nudos ante tuum constituet forum,
Tunc nos propitius collige, cum grege
Iustorum positos, quem pietas tua

Ser-

Seruans pro meritis, quae ſibi munere
Acceſſere tuo, perpetuis beat,
Finito ſtadii turbine, praemiis.

Si terris ſegetes frigore mortuis,
Frondes arboribus, germina vallibus,
Greſſus reptilibus, manca volucribus
Alarum reparas, cunctaque viuida
Reddis, quae glacies et rigidis hiems
Auris corripuit, fecit et arida,
Quamuis te nequeant noſcere ſenſibus,
Quum deſit ratio, tu tamen omnia
Nutris atque foues, veris et hoc noui
Quo Phoebus radiis tempore promicat
Ignitis, recreas: quid facies tuis
Nunc ex ſarcophago ſoſpes amantibus,
Te verumque Deum rite colentibus,
Qui rerum ſator et factor es omnium?
Num non ſponte dabis iuſta petentibus?
Quum coruos epulis paſcis, et obuia
Ornas florigeris lilia veſtibus.

Ad te nos et ob id pectore ſupplices
Firmo confugimus, te quoque poſcimus,
Ne nos deſtituas, quos variis modis

Ad-

Adflictos Satanas perſequitur furens.
Hunc tu praeſidio pelle procul tuo,
Et tum praecipue, quum prope terminus
Iuſſus proueniet cedere nemini,
Adſis, daque, tuos ſentiat angelos
Cuſtodes anima in corpore languido.
Hoc poſtquam gelidis liquerit anguibus,
Tandem terribilis quando canet tuba,
In ſpe nos pie fac Chriſte reſurgere,
Ad dextramque tuis iunge fidelibus.

AD CHRISTVM
DE
ADSCENSIONE ET SPIRITVS S.
MISSIONE

XXVI

Chriſte, ſupremi Parentis
Nate, rerum conditor,
Corporis noſtri caduci
Induens amictulum,
Ex puellae carne caſta
Hoc iniſti ſeculum:

Vt poteſtatem furentem
Daemonum compeſceres,
Et tuos ex hac fideles
Per crucem diſſolueres:
Quod benigne praeſtitiſti,
Paſſus infamem necem.

Victor inde ſed reſurgens,
Contudiſti Tartara:
Liberans patres vetuſtos
Dux eras ad ſidera,
Cumque poſt quater diebus
Fratribus denis eras.

Multa de regno loquutus
Caelico, mundi plagas
Hos per omnes vt docerent
Ire mandasti fidem,
Et sacrum baptisma cunctis
Praedicare gentibus.

Dogmatum plures dedisti
Conciones, cum quibus
Mansiones praepararent
Cordium gratas tibi,
Dans eis pacem, relinquens
Hancque pro viatico.

Postea coniunctus illis
Mons oliuis consitus
Te recepit: hicque multa
Differens, testes tibi
Feceras eos per omnes,
Terra quos fert, terminos.

His videntibusque clara
Luce nubis splendidae
Septus, in sublime ductus
Aetheris palatium,
Dona iussisti paterni
Operiri Spiritus.

Quum ſol decies reuerſus
Eſſet orbis ambitu,
Congregati conſedebant
Cum beata Virgine,
Caritatis atque plenis
Adſeclis cum ceteris.

Tunc ſonus repente factus
Impetu per aethera,
Qui locum repleuit omnem,
Quem precantes ceperant,
Perſonabat cum tonitru,
Grata mittens fulgura.

Eminebant vnde linguae
Igneae, quae ſingulos
Adpetebant hinc loquentes
Omnium ſermonibus:
Quos ſtupens intelligebat
Quaelibet tunc natio.

Et putabant muſta mane
Hos bibiſſe: ſed Petrus
De tuo docebat eſſe
Spiritu, quae dicerent;
Poenitentiamque ſuaſit
His ſimul credentibus.

Quam per omnes praedicabant
Orbis ampla climata,
Et fideles, Chriſte, multos
Reddiderunt perditos,
Noſque iunxere tuorum
Candido conſortio.

Ergo nos agnoſce fido
Supplicantes pectore,
A minis hoſtilibuſque
Nos potenter adſere:
Vt tibi ſeruire poſſit
Vita noſtra libere.

Pace ſacque perfruamur,
Quam reliquiſti, poli
Aſtra conſcendens: in illa
Nos clementer, Rex pie,
Turbulentis his diebus,
Et quiete protege.

Bella cum diſſenſione,
Iurgiis, et litibus,
Nunc vbique proferuntur;
Regna regnis obſtrepunt:
Forte iam dies propinquat
Illa formidabilis.

Te nihil poteſt latere,
Cuncta qui noſti probe,
Antequam fiant; habeſque
In voluntatis tuae
Dextera, quae pontus, aer,
Atque tellus continet.

Nos eoque, Dux ſuperne
Angelorum, dirige,
Vt tuae, planctus in iſta
Valle, pacis munere
Simus a peruerſitatis
Liberati turbine.

Daque nobis, quem dediſti
Spiritum caris tuis,
Vt queamus roborati
Mente firma vincere
Vniuerſa, daemon orbis
Et caro quae ſuggerunt.

Abſque te nihil valemus:
Te iuuante poſſumus
Cuncta: te fauente dirae
Mortis hic imperium
Non paueſcimus, nec vllas
Hoſtium proteruias.

Quis

Quis poteſt nocere, ſancta
Si tua nos hic ope
Adiuuas, et principali
Corda noſtra Spiritu
Viſitas? Hunc, o Creator,
Mitte noſtro pectori.

Hunc amoris da datorem,
Illius quo glutino
Semper hic inhaereamus
Firmiter iuſſis tuis:
A tuorum ſeparemur
Ne piorum gaudio.

Facque nos ad alta caeli,
Mole criminum graui
Hic relicta, peruenire,
Poſtque te conſcendere,
Hic vbi cum Patre regnas,
Cumque ſacro Flamine,
Abſque fine ſempiternus
Et potens vnus Deus.

DE CHRISTI RESVRGENTIS ADPARITIONE AD VIRG. MARIAM DEI MATREM

XXVII

O decor, Regina, ſoli polique,
Virgo, quae Chriſtum remanens tuliſti,
Iamque ſub ſanctis pedibus ſerena
Sidera calcas.

Gaudiis quantis benedicta mater
Poſt tuos planctus fueras refecta,
Quum tuus natus rediuiuus adſtans
Te recrearet!

Ille ſolari prius inter omnes
Te volens, moeſtae tibi ſe videndum
Praebuit primum, veteres reducens
A Styge patres.

Cum quibus coram veniens, amaros
Abſtulit fletus, gladius doloris
Quos tibi fecit, ſcidit et tuum cor
Sub cruce ſtanti.

Quod ſtatim praeſens hilarauit ore
Dulciter ſacro, tibi quae manebant
Vulnerum monſtrans per amata membra
Stigmata, ſeque.

Hanc tuam quis laetitiam referre
Poſſet optati reditus potentis
Filii, quam tu, Genetrix beata,
Tunc habuiſti?

Inde viuentem quoque Magdalena
Vidit, et quaedam pariter miniſtrae,
Quae ſepulcrali voluere funus
Vngere more.

Viſus et poſt eſt ſimul a duobus,
Cum quibus iunctus peregrinus ibat;
Non tamen notus, niſi fractione
Panis, ab illis.

Ianuis clauſis venit hinc gregatos
Vndecim viſens, medius ſtetitque,
Dans eis pacem, fideique lumen
Firmius addens.

Non erat praesens Didymus, nec illis
Credidit: quem sed rediens benigne
Credulum fecit, digitis latusque
Tangere iussit.

Is fidem nostram stabiliuit, vnde
Certius scimus, veneranda Virgo,
Hunc tuum natum triduo sepultum
Astra petisse.

Quem breui tandem fueras sequuta,
Adsidens illi modo gloriosa,
Et choros omnes super angelorum
Magnificata.

Hic tibi numquam negat ista, quae tu
Postulas, auditque libens rogantes,
Mente qui pura veniam reposcunt,
Pro quibus oras.

Quod quidem semper facis inuocata,
Hisque praesertim, per Aue salutant
Qui tuum nomen Gabrielis ore,
Hocque verentur.

O de-

O decus ſublime beatitatis,
Quam pater nobis ſtatuit redemtis
Per tuum natum, prece nos ad illam
Duc, pia Mater.

Hunceque feruentem pietatis hymnum,
Quem pio cantant animo fideles,
Et tuum nomen celebrant amantque,
Suſcipe gratum.

Si tuis forſan minime placebis
Inuidis, laudes tenuant vbique
Qui tuas: illos ſua poena tanget,
Quam meruerunt.

At tuo numquam poterunt nocere
Nomini, quod nos veneramur, etſi
Inde rumpantur, liceat, maligni
Pectoris hoſtes.

Ergo nos, tota tibi ſeruientes
Mente, commiſſos habeas, et adſis
Hinc migraturis famulis, precamur,
Mortis in hora.

IN LAVDEM NOMINIS GLORIOSISS. VIRGINIS MARIAE

XXVIII

Maria, ſpes credentium,
Salus piarum mentium,
Ad te clamamus obruti
Peccatis huius ſeculi.

Maria, lumen cordium
Vitaque, lux errantium,
Et aduocata ſontium,
Audi preces gementium.

Maria, terror omnium,
Qui nos infeſtant, daemonum,
Tu nos ab illis libera,
Et angelis adcumula.

Maria, da petentibus,
Et te pie colentibus,
Noſtras hic ſublenans vices,
Quod te rogamus ſupplices.

Maria,

Maria, nobis impetra,
Tentatio ne ſubdola
Hoſtis de recto tramite
Nos abſtrahat laudis tuae.

Maria, labis neſcia,
Omnique plena gratia,
Nos mundos fac a crimine,
Tuo ſacro iuuamine.

Maria, nos hic reſpice,
In hac vallis miſerrimae
Anguſtia, qua ſtringimur,
Et tot periclis pungimur.

Maria, portus et quies,
Quum ſoluet vltimus dies
Nos de mortali corpore,
Hoc nobis adſis tempore.

Maria, monſtra Tartari,
Aeterno vincta carceri,
Tuam timent potentiam,
Formidant et praeſentiam.

Maria, tu nos libera
Ab his, et poena debita,
Interuentuque nos tuo
Tuo coniunge filio.

Maria, quiuis te colunt,
Et laudibus te concinunt
Omnes fideles vndique:
Tamen nunc fit praepostere.

Maria, multos impios
Habes, et hostes perfidos
Hoc aeuo, qui te vellicant,
Te contra dira mussitant.

Maria, clemens et pia,
Pro stultis illis supplica,
Vt conuertantur a suis
Factis, et verbis impiis.

Maria, cuncta, quae petis,
A nato semper accipis:
Honorans te nihil negat:
Benigniter, quae vis, probat.

Maria, nomen nobile,
Et nobis hic amabile,
Fac, vt laudemus iugiter
Hoc nunc, poſt aeternaliter.

IN HOSTES
GLORIOSIS. VIRG. MARIAE

XXIX

Serpens perfidus, inuidens ſaluti
Noſtrae, virus in hunc profudit orbem,
Poſtquam primus homo creatus eſſet,
Ex coſta ſociam ſuaque cepit,
De ligno vetito quod abſtinere
Iuſſus, de reliquis haberet eſcam.

Tunc is cum muliere diſputator
Noſtros fraude ſua procul parentes,
Ex horto miſeros amoenitatis
Proiecit: Deus ergo, ſemper hoſtis
Vt ſit femina, iure fecit, angui,
Illius caput vtque conterendo
Confringat genetrix ſimulque virgo
Hoc tum tempore, quo fuit futura.

Quid mirum, Satanas, ſuis miniſtris
Coniunctus, quod adhuc, licet ſubactus,

Hanc odit, nequit et pati ſacratum
Eius nomen honoris atque laudem ?
Qua gaudent Superi, proboque verae
Serui relligionis hic amore
Huius Virginis inclitaeque Matris
Flagrantes, et eam pie colentes,
Ex qua natus homo Deus redemit
Nos a flammiuomis vadis Auerni.

Per quam ſiderei poli pateſcit
Cunctis aula fidelibus ſuperna,
Et quae fida ſtat advocata nobis
Apud propitium ſuum precando
Natum, ne ſcelerum rependat actis
Poenas promeritas, nec vt relinquat
Nos hoc tempore, daemonum procellis
Quo mundus modo fluctuat malignis.

Hanc tu, quiſquis is es, furore captus,
Et totus ſpaticus parem putabis
Noſtris hic mulierculis miſellis?
Quae nos concipiunt iniquitate
Plenae, putribus ex viri medullis,
Et magno pariunt doloris aeſtu:
Subiectae vitiis moleſtiiſque,
Foedis illecebriſque ſeruientes.

Hanc

Hanc illis, malesane, comparabis?
Hanc, inquam, licet a Deo sit esse
Destinata prius parens Tonantis,
Quam mundus fieret, vel hoc, in illo
Quod constat, vel vbique quod mouetur,
Et nunc astrifera sedens in arce,
Et coniuncta suo beata nato,
Et terras, mare, lucidumque caelum
Implet rector, et omne, quod videtur.

Per quem respicit, audit, atque praestat,
Quidquid vel petimus, vel intus optat
Mens deuota, precesque puriores
Gratas suscipit, et facit libenter
Hoc, quod poscimus, impetratque cuncta
A caro pia filio precatrix,
Quae desiderio vel apta nouit,
Vel scit commoda pro salute nostra.

Hanc vates veteres sacris figuris
Praedixere diu tot ante seclis:
Bis senis etiam prius Sibyllis
Non ignota fuit: libris et Hermes
Huius fecit in orbe mentionem,
Quo diuinitus ille tunc agebat,
Praemonstrauit et hanc Dei parentem,

Reginam quoque ſiderum futuram,
Humanumque genus per hanc ab Orco
Saluandum nece prolis innocentis.

Quid, nequiſſime veritatis oſor,
Audis dicere ceteris puellis
Aequalem? nec apud Deum valere
Hanc plus, femina quam colo laborans,
Quae vel putris harae lutoſa verrit?
Quo te daemon agit ſub hoc furore,
Non noſcis miſer; hoſtis eſt, et hoſtem
Per conuitia te facit; ſed iſti
Infelix neque Virgini nocere
Vmquam, nec poteris furens obeſſe.

Commuta potius proinde mentem
Inſanam; reſipiſce, teque matri
Commenda propere Dei potentis:
Erroris veniam dabit fatenti,
Et nati tibi gratiam parabit:
Eſt clemens etenim, benigna, mitis
Lapſis, atque reis patrona ſemper,
Praeſens anteque iudicis tribunal
Peccatoribus aduocata cunctis.

Quod ſi perſtiteris licenter ore
Blaſphemo mala proloqui, recepta

Quae vulgus varium dolo ſubintrant,
A cultuque trahunt parentis huius,
Quam Chriſtus veneratur ac honorat
Cum ſanctis ſimul omnibus: quod inde
Exſpectes, tua mens, reor, docebit:
Quae praeſaga tibi renuntiabit
Venturum prope vindicis flagellum,
Cui ſubducere te, miſer, nequibis.

Si nos hic homines honore matres
Noſtras proſequimur, piis amantes
Ex adfectibus, îſque comminamur,
Illas qui leuiter probris laceſſant:
Quid ſummum faciet regens Olympum,
O inſane, tibi, tuaeque linguae,
Qui tot vocibus impudenter audes
Adtentare? Feres breui repoſtas
Diris ſuppliciis ſub igne poenas:
Non impune diu ſuae parenti
Contemtum fieri Deus relinquet.

AD PIVM LECTOREM

Benigne Lector, qui pie Deum colis,
Et huius Orbis non tumes ſuperbia,
Nec hic requiris multorum praeconia,
Sed corde ſimplici non hoc, quod ſcribitur
Docte vel argute grato Poeticae
Stilo, profanis quod fabellis pingitur,
Admittis in te, rem, non verba, percipis,
Et nucleum probas, reiecto cortice:
Tibi, reor, non diſplicebunt paruuli
Libellus hymni, quales iſte continet,
Non arrogantis, at deuoti pectoris
Foetura quum ſint, qua velim fidelibus
Prodeſſe Chriſti, cuius quaero gloriam:
Meam mephitis et putredo vermibus
Dabit: nec vlla ſemper hic manet, ſuo
Sed interit plerumque cum cadauere.
Curemus ergo ſempiterna perfrui,
Daturus eſt in libro quam viuentium
Suis Deus, quos mundus hic peroſus eſt,
Et huic viciſſim qui placere non ſtudent.

Nam

Nam plenus eſt ineptis vanitatibus,
Fluxiſque rebus, quae velut fumus cito,
Vel bulla quum tumeſcit flatu, tranſeunt.

Opus Maronis aut Homeri quid iuuat
Vmbras? quod hi labore ſollerter graui,
Cum laude multa, congeſſere, quod licet
Durat: ſed his quid hinc voluptatis datur
Apud tetri nigram Plutonis regiam?
Re ſtultiores nulla mortales ſumus,
Quam quod putamus noſtra vana nomina
Victura libris editis hic perpetim.
Poſt fata ſi quid tale forſan accidit,
Quid proderit laus haec inanis mortuis?
At interim vitales ſpiritus rapit
Intenſa preſſae mentis cogitatio,
Siccans cerebri vires laſſitudine,
Adfertque mortem, vitam quo requirimus.

Qui te tamen vixiſſe teſtari cupis,
Sic viue, quo cum Chriſto poſſis viuere,
Aeternitatis qui donat ſolatium,
Sanctos quod inter abſque fine permanet.
Ad cuius hos honorem paucos promimus
Hymnos, ſequuti nobilem *Prudentium*,
Quantum licebat, Chriſtiani nominis

Profeſſione cultorem piiſſimum,
Quo noſtra ſanctis canticis Eccleſia
Libenter in ſacris diebus vtitur.

Eos nihil moror, qui noſtro tempore
Praepoſtere peruertunt, quidquid ordine
Eſt conſtitutum per patres ſollemniter,
Suaſque naenias germanicas canunt,
Ventri, gulae, foedis inceſtis dediti:
Qui, quum Chriſtus volet, graues poenas dabunt.
Cui laus, honor, perennis atque gloria,
Cum Patre ſempiterno, cumque Spiritu,
Qui corda firmat omnium fidelium
Vera fide, ſua ſuperna gratia.

AD LIBELLVM DE TVRBATIS NOSTRIS TEMPORIBVS

Qua te praecipitas mente, Libelle?
Linquens ſcriniolum, quod tibi clauſum
Non paruo fuerat tempore, pergens
Ad terras, homines adque remotos,
Qui vix hoſpitio te reputabunt
Dignum, tot variis qui modo ſectis
Inter ſe lacerant, quae vetus illa
Patrum relligio condidit olim.

Saeuis, nonne vides, cuncta ſub armis
Quam ſint inuia, per prata, per agros?
Turbatas et ab îs eſſe vel vrbes
Munitas? quod item nemo ſit auſus
Fidentes per iter figere greſſus?
Nuſquam tuta fides: plena timoris
Feruent compita: Mars ſaeuit vbique:
Multos oppoſuit Caeſaris actis,
Quae feliciter his terminat annis,
Iuſto ſubiiciens enſe rebelles.

Accedit: populi funere Regum
In ſeſe rabie corripiuntur.
Hinc Galli trepidant, hincque Britanni:

Et turbis nec ab is Sarmatis ora
Eſt immunis: et hoc propter vtrumque
Regem, ſic et eum, qui modo vita
Exceſſit pius et ſanctus, eumque,
Qui viuus ſupereſt, rectius vt res
Regni dirigat, et ſceptra gubernet.

Qualis Pannoniis ſub recutita
Pax ſit gente, liquet: qualis vbique,
Viciniſque locis, quae vagus Iſter,
Quae et per dogma recens peſtifer Albis,
Et Rhenus gelidis adluit vndis,
Quis neſcit? Latium fertur et omne
Scriptis militibus promere ſigna:
Infeſtus Rhodanus, ſaeuus Iberus,
Immitiſque Tagus fuſtibus altis,
Ferratiſque globis, miſſilibuſque
Armant mortiferis agmina multa.

Vix vmquam fuerant tempora priſca,
Haec vt noſtra, magis noxia, totque
Turbis concita per bella, nocendi
Per multoſque modos, nunc quibus orbis
Adflictus teritur: quod meruerunt,
Quae committimus hic, crimina noſtra.
Pura mente Deum quis colit? aut quis

Sancto-

Sanctorum merito nomen honore
Profert? quin temere ſaepe profanant
Multi ludibriis, adficiuntque.

Sancti dante Deo plurima poſſunt:
In quo cuncta vident, luminis eius
Illuſtres radiis: vota ſuorum
Ad ſummum referunt ſemper, et augent,
Stantes ante thronum iudicis Agni:
Cui nos conciliant, et ſibi iungi
Orant, vt numerum compleat omnem:
Ex quo deciderat Lucifer ille,
Qui par eſſe ſuo mente volebat
Factori tumida, truſus ad imum,
Cum multis ſociis, limen Auerni.

Tales diſcipulos hic habet illos,
Sub panis ſpecie nobile Chriſti
Qui corpus, ſimul et ſanguinis vndam
Pro nobis fluidam, non venerantur.
Hanc et vituperant, quae pia nobis
Hunc panem genuit Virgo Parenſque:
Haerentes vitiis turpiter, omni
Pleni ſpurcitia cordis et oris:
Detruſum Satanam ſicque ſequuntur
Recta flammiuomum ſubtus ad Orcum.

Hos tu non metues, care Libelle?
Et tot proueniunt quae mala paſſim
Adtritas miſere per regiones?
Securum gradiens teque futurum
Confidis per iter, mille latronum
Quod nunc inſidiis noſcis vbique
Obſeſſum? Remane, donec abire
Hinc tutus poteris. Sed nihil iſta,
Vt circumſpicio, te remorantur,
Quum iam ſarcinulis ſis oneratus.

I felix igitur! Nulla nocebunt
Intentata tibi tela dolique,
Qui fers rubra tui ſtigmata Chriſti,
Ac inſigne Crucis, quod procul hoſtes
Horreſcunt ſtygii, quotquot et illis
Iuncti ſunt homines, impietatis
Cultores; tibi quod cedere coget,
Sint vtcumque licet tempora noſtra
Tot infeſta malis, obuia cuncta:
Signum nam Crucis hoc omnia vincit.

AD

IOANNEM DE CVRIIS

DANTISCVM

CARMINVM LIBER ADOPTIVVS

NVNC PRIMVM COLLECTVS

A

IO. GOTTLOB BOEHMIO



CASP. VRSINI VELII GENETHLIACON IO. DANTISCI POETAE CLARISSIMI

Insertum est *Vrsini Velii* Poematum Libris, Basileae editis, (An. 1522. 4.) item *Aegidii Periandri* Germaniae, p. 446.

Natali, Dantisce, tuo pia sacra frequentet,
 Quisquis Castalio lauit in amne caput.
Personet aurata cithara praedulcis Agileus,
 Et carmen solito laetius ore canat.
Illo Pierides saltent cantante sorores,
 Et sua cum Phoebi carmine mixta sonent.
Adsit adhuc pedibus surisque madentibus Euan,
 Nuper ab expresso praela peruda mero.
Altera post decimam lux haec trieterida nobis,
 Annua lux partus conscia grandis adest.
Tale vel hoc carmen parituraе ad limina matris
 Diuino Clarius protulit ore Deus.
Nascere felici, puer o pulcerrime, fato,
 Tantum non Phoebo pulcrior, et Bromio.

Et tibi formoſo creſcant in corpore vires;
Membra lacertoſis ſint bene firma toris.
Qualis erat, quum victor ouans Tirynthius horto
Aurea ab Heſperio mala dracone tulit.
Et celeber ſcriptis, et factis clarus habetor:
Carmina Peligno proxima lude ſeni.
Prima tuos ignes recitabunt ludicra: toto
Proſpera verſiculis viuet in orbe tuis.
Triſtia poſt laetos vulgabis carmina verſus,
Et dices patrio praelia facta ſolo.
Signaque Sarmatici victricia Regis, et arma,
Vidit Pellaei quae ducis ara, canes.
Arma per infecti diſiecta Boryſthenis vndas:
Cumque ſuis armis corpora vaſta virûm.
Magna tibi ſemper fulgebit gratia Regum,
Quorum munificas experiere manus.
Tum peregre populos varios viſurus et vrbes
Ibis, et externis gentibus hoſpes eris.
Cimbrica namque leges prima formoſe iuuenta
Littora, permenſus Baltheon ante fretum.
Acre virûm genus, et validos Saxonas adibis:
Omne per Hercynium progrediere nemus.
Innumeros late populos genteſque videbis,
Quas claudunt gelidis Rhenus et Iſter aquis.
Italiae poſthac et opes miratus et vrbes,

Aude-

Audebis vaſtos per maris ire ſinus.
Alcinoi veteres primum mirabere ſedes;
Alta tibi hoſpitium deinde Zacynthus erit.
Atque Epidaurus vbi ſerpentis imagine cultus
Indigenis Phoebo natus in aede fuit.
Atque Rhodon Phoebo claram, et magno Ioue Cretam,
Et Cypron, Idaliae regna ſuperba Deae.
Et Syriae populos, et inhoſpita vaſta videbis,
Qua non aequoreo tutius exſtat iter.
Quin et adorabis ſacrum, quo condita paſſi
Lurida ſarcophago membra fuere Dei.
Quaeque Palaeſtinas loca ſunt veneranda per oras,
Bethlemiumque larem, Caluariaeque ſolum.
Denique Trinacriam, fumantemque ignibus Aetnam
Conſpicies, Siculo praeteriture freto.
Claram et Parthenopen peragrabis, et Appula iuxta
Arua, et Campani rura beata ſoli.
Atque orbis dominam victi mirabere Romam,
Quidquid et in tota viſitur Auſonia.
Mox iterum Regumque aulis, Regumque vacabis
Conciliis: Regum laus erit arma ſequi.
Regius Auguſti viues Orator in aula,
Iuſſus ad Euganeos ſaepius ire patres.
Iſta quidem mediis iam tum perfeceris annis,
Pectus et ingenium teſtificata tuum:

Quum

Quum decorata ſacrae lambent tua tempora laurus,
    Caeſaris inuicta munera lata manu.
Quod reliquum eſt vitae ſpatium, (nam longa beato
    Pollicita eſt facilis ſtamina Parca tibi:)
Curret id omne tibi feliciter, et tenor vnus,
    Vnus erit vitae curſus vbique tuae.
Et non eſt oneri tibi ſera futura ſenectus;
    Sed viridis, ſed quae rara venire ſolet.
Ipſa tuas augebit opes, augebit honores
    Rex tuus, ingrata ni volet eſſe manu.
Sic cecinit Phoebus: Phoebo ceſſante, ſorores
    Lanificae niuei ſtaminis orſa trahunt.
Soluebat magnum Lucina facillima partum;
    Et poſitum eſt vtero dulce parentis onus.
Natus es in lucem, lux o generoſa tuorum:
    Felicem o Genium terque quaterque tuum!
Natus es auſpicibus Dîs, et Iunone ſecunda:
    Fila quater vitae terque beata tuae!
Sed iam conuiuae plauſum date! pocula ſumat
    Quiſque ſimul mecum, et talia voce ſonet:
Viuat io! Dantiſcus, io! laetum exigat aeuum,
    Viuat io! patriae, viuat io! ille ſuis!
Eſt bene; non votis optamus inanibus iſta:
    Riſit, et optatis adnuit ipſe Deus.

EIVS.

EIVSDEM AD EVMDEM

EPISTOLA

Adiecta est Illustr. Virorum Epitaphiis et Epigrammatis, in funere Mercurini a Gattinaria, quae, auspicio *Dantisci* edita, supra laudaui, p. 144.

Dum tu Menapiis digressum, Maxime, fortes
Augustum in Belgas Dantisce secutus abires,
Legatus Regis prudens sapientis et aequi,
Nos vna Augusti cum Principe fratre recepit
Inclyta Romanis olim Agrippina Colonis,
Et nunc diuitiis ac moenibus aucta, virisque.

Inde per aduersum vario molimine Rhenum,
Vsque Maguntiacas lenti raptamur ad arces,
Ac Drusi antiquam celso super aggere molem,
Cum Vuenceslao, nosti quem pectore magnum,
Loxanoque meo, nosti quem corpore pulcrum,
Sed nec mente minus validum; vt neque turpior ille est.
Hic quam paene nigri vidissem limina Ditis,
Cocytique atras pro Rheni fluctibus vndas
Tranassem! gelidos haurit dum fracta liquores
Impulsa ad scopulum sub flumine nauis acutum.

Hic

Hic mihi quae fuerant dicenda ad Caefaris aures,
Pontificefque facros, Regefque Ducefque togatos,
Nuper amicorum funt edita parua coactu:
Queis equidem adiunxi, quae fcripfi feruidus olim
Hadelium contra, qui carmine polluit atro,
Sed falfo, et gentis praeclarum nomen et vrbis.
Debuit hoc pridem iam noftra Thalia Polonis;
Debuit altrici mens grata fideliter vrbi.

Pofthaec Vangionas peragrauimus vfque reuerfi
Oppidulum, leni qua per fola pinguia tractu
Danubio modicus mifcetur flumine Vuerda;
Vnde per immenfum feftinis labimur amnem
Lintribus, Auftriacis et tandem exponimur oris,
Tectaque iam Linci dudum exoptata fubimus.
Hic ego non multos degens cum Principe foles,
Illius imperio mox moenia pulcra reuerfi
Quamuis adflictae belli modo clade Viennae.
Quartus ibi Hiftoriae liber additus; et miferandum
Pannonii interitum Regis, Regnique ruinam,
Mandaui fcriptis, et noftro carmine dignas
Auftria iam fundit bello conuulfa querelas,
Auxiliumque tuum Germania magna fidemque
Implorat: fi quid reliquum mihi temporis effet
Scriptori belli totum id cedebat Achiui,

Et

Et libris, Caeſar quibus ipſe ſua inclyta facta
Extulit, et docuit ciuilis damna tumultus,
Tradentique tuos, demens Catilina, furores,
Nec non perfidiam Numidae et ſcelera impia Regis.

Cetera tam longae curta cum nocte diei
Tempora, dilecta cum coniuge, ſuauiter egi,
Quae me feminea fecit modo prole parentem:
Cuius ab amplexu nuper diſcedere iuſſus,
Rurſus ſollicitae tero limina ſedulus aulae.
O qui tum fletus, lamentaque quanta fuerunt!
Durius in terris nil coniuge viuit amante,
Alter vbi alterius caret adſuetudine dulci.

Mî deſiderium dilectae coniugis, atque
Suſceptae nuper ſobolis, praeſentia lenit
Regis, et effulgens diuino gratia vultu;
Quicum me referam Romani ad Caeſaris aulam,
Mox vbi conſilio Spiram properabit habendo.
Illic, quod votis exopto frequentibus, omnes
Incolumes tecum cupide complectar amicos:
Valdeſium ante alios iamdudum geſtio, cuius
Manat ab ore decens, ac non ſine pondere, ſermo,
Doctus et ille quidem paucis bene multa profari.
Et iam nunc aueo Cornelî grandia linguae

Verba,

Verba, ſibi doctas audire ac diſcere voces,
Siue hic iudicio pulcro cuiuſlibet aeui
Explicat hiſtorias, ſeu cantat amabile carmen,
Aut Academiae ſublimis acumina promit.
Audiam et exactum recitare poema rotundo
Ore pium vatem, quem antiqua Panhormus alumnum
Edidit, et pulcro Gentilem nomine dixit,
Qui res Auguſti bene geſtas ordine ſcribit.

Sed tua praecipue, tua ſunt mihi carmina cordi,
Leniter et puri labentia fluminis inſtar.
Dî tibi diuitias, formamque decuſque dederunt,
Ingeniumque ingens, ac mentis acumen honeſtae.
Viue, vale, atque boni facias leue carmen et aequi.

CARMINA
HELII EOBANI HESSI
AD
IOANNEM DANTISCVM
SECRETARIVM REGIVM
EPISTOLA

Haec et item altera, quae hanc excipit, primum edita est in *Eobani Hessi* Siluis, (Hagenoae 1535. 12.) Lib. I. qui ipsi *Dantisco*, Episcopo tum Culmensi, et Administratori Pomesaniensi, est inscriptus; et in *Hessi* Opp. Farrag. (Francof. 1564. 8.) p. 365. sq. item in *Periandri* Germania, p. 437 sqq.

Quae properata tuas mihi protulit hora Camenas,
 Haec eadem, vt cernis, reddidit ista tibi.
Nam mihi vix spatium, quo respondere pararem,
 Et calamo digitos adplicuisse, fuit.
Sed fuerit properata licet tua Musa, putares
 Conatam melius non potuisse coli.
Nulla Venus Phrygia formosior esset in Ida;
 Nulla vel in patrio flumine lota Dryas.
Excelsa virides lauros in fronte gerebat:
 Vincebant Paphias lumina bina faces.
Fratrabant niueo teretes in pectore mammae;
 O! etiam magnis Nympha petenda Deis.

Quo tamen implicitos odiosa Metaphora nodos?
Quid iacis incertos ſtridula Muſa ſonos?
Tam mihi viſa decens, tam viuida, tamque diſerta,
In ſubito excuſſis eſt tua Muſa modis.
Talia qui ſcribit ſubito dictata furore,
Qualia legitimo tempore ſcripta dabit?
Cedo libens, iſtoque tibi certamine palmam
Offero, laus Muſae quantulacumque meae eſt.
Nos canimus magno victricia iubila Chriſto,
Vt cogunt vites humida praela nouas.
Quod tamen haec ſcribis ſubito fluxiſſe calore,
Plus quoque, quam credi quod potuiſſet, erat.
Libera Muſa animos a carmine ſumit, et audet
Contrahere in paruas tempora longa moras.
Sed tamen iſta tuae fuerit ſua gloria Muſae;
Plus merito certe carmina noſtra probas.
Sum tuus, aeternoque tibi deuinctus amore;
Pro quo perpetuo tu quoque noſter eris.
Quod petis, vt veniam conuiua rogatus, habeto,
Quod pro me reddit littera noſtra tibi.
Si potero rebus non impedientibus iſtis,
Me quibus implicitum cura moleſta premit:

Prin-

Principe si demum vacuo spirare licebit,
Ad coenam venio, dulcis amice, tuam.
Sed venio, quid enim tibi non concesserit Hessus?
Parca modo coenae pars volet esse meae.
Non Venerem, non vina peto: satis ipse superque
Sufficis: in partes has nihil adde, precor.
Si tamen adfuerint Venus, et cornutus Iacchus:
Accedet nostro gratia tota choro.
Hoc tamen accipies dictum ratione pudica:
Nequitia a versu debet abesse meo.
Viue, vale, et placida properatam fronte Thaliam
Accipe; sic tecum, quem petis, hospes erit.

EIVSDEM AD EVMDEM

Legimus hefterna ductas tibi luce Camenas,
Pauca, fed aeternum carmina digna legi.
Noftra tamen fero tibi quod refponfa leguntur,
Eft eadem nobis, quae tibi cauffa fuit.
Scribis, vt hefterno nimium madefactus Iaccho
Cyclopas capiti credis ineffe tuo.
Credibile eft; nec enim nouitas haec rara poetis,
Quos fouet in molli gratia blanda finu.
Sicut enim genio reliquis meliore beati;
Sic etiam vita liberiore fumus.
Praecipue, fi quando choro conuenimus vno,
Luxuriat blandis gratia picta iocis.
Tunc nullos critica trutinamus fronte Platonas;
Tunc procul inuifus cogitur ire Timon.
Sed Veneri et Mufis facile indulgemus, et illi,
Qui capiti fecit pondera tanta tuo.
Tunc Venus, Idaeis circumdata floribus, vltro
Adfpirat pictis nuda Cupidinibus.
Tunc quoque fe nobis talem manifefta fatetur,
Qualis ad Anchifen dicitur iffe fuum.
Laetior hic folito pulcer bona cornua Bacchus
Sauciat infufo pectora noftra mero.

Saucia

Saucia concipiunt genialem pectora flammam:
Vrget in adsuetos ebria Musa sales.
Natura hic surgunt subiti dictante lepores
Innumeri risus, innumerique ioci.
Quocirca nihil est, quod vel mirere grauari,
Vel metuas Hesso non placuisse tuo.
Vina animos vt mane grauant, ita vespere tollunt;
Laetitiamque omnem, frigide somne, fugas.
Omnia quae fueras Hesso praesente loquutus,
Ne dubita, in partem suscipit ille bonam.
Atque vtinam quidam non deteriora loquantur,
Qui mihi, nescio quo, iure nocere student.
Quos, vbi me nequeunt iusto comprendere morsu,
Non tamen iniusta pendere lance pudet.
Tu vero, celebres inter numerande poetas,
Scripta probas Hessi qualiacumque tui.
Et quoniam nostras laudas, Dantisce, Camenas,
Te propriis dignum laudibus esse doces.
Ergo te merito nostrorum inscripsimus albo,
Vltimus a primis ne videare. Vale!

EIVSDEM AD EVMDEM IN FVNERE MERCVRINI GATTINARIAE EPICEDION

Inter Epitaphia et Epigrammata Illuſtrium Virorum, in funere Mercurini Card. Gattinariae, exſtat primo loco. Deinde inſertum eſt *Eobani Heſſi* Opp. Farragini, p. 311 ſq.

Cui ſua diuitias virtus et honeſta laborum,
Opes honeſtas contulit patientia:
Scribere me, Dantiſce, iubes Epicedia, magni
Quae Mercurini funus ornent laudibus.
Fas mihi mandatis animo parere volenti,
Tua cuncta iuſſa quem decet capeſſere.
De me ſic meritus quum ſis, et ſic tua virtus
Et poſtulet haud vulgaris eruditio.
Accipe ſed lacrimis alieno carmina plectro
Ratione ſcripta Mercurini nominis.
Quod quia ſpreuerunt Elegi tractaſſe rebelles,
Succeſſit his Iambus aequus arbiter.
Quondam criminibus, nunc aptus et ille querelis,
Et ante ſaepe lectus in funebribus.
Tempore quo tetricae ruperunt fila ſorores
Tibi, Mercurine, Gattinariae Domus

Eximi-

Eximium decus, ad tumulum venere frequentes
Diuae, daturae iuſta funeri tuo.
Prima bonis Virtus comitata ſororibus ibat,
Probitate, lege, pace, iuſtitia, fide.
Ibat et ipſa ſuis Sapientia cincta miniſtris,
Modeſtia, pietate, fortitudine.
Ex his triſte duae feretrum ſubiere priores;
Capulum ſequentes, ingemuere ceterae.
Praecipue Pax atque Fides, quas ille ſolebat
In tempus omne amare conſtantiſſime.
Iuſtitia indecores flebat laniata capillos,
Audita ſiue hoc, ſiue tale quid loqui:
Quae modo ab exilio, duce te, reuocata videbar,
Te, Mercurine, abeunte rurſus auocor.
Conſcidit alma Fides lacerae ſubtegmina pallae,
Et eiulabat, vt ſolent miſerrimae.
Ingemuit Probitas, ſolam ſe queſta relinqui,
Quod occidiſſet ipſius verus pater.
Quis numerare queat, quot in illo funere Diuae
Bonis amicae lacrimas effuderint?
Quas neque crediderim tantum doluiſſe, cicutae
Quando extulere conſopitum Socratem:
Nec plures lacrimas magno fudiſſe Platoni,
Quum ſternerent funebre diuerſorium.
Nec ſic Democritum flerunt non Pythagoraei,

Ad haud parum lacrimofa bufta funeris.
Nec tantum ille chorus virtutum heroinarum
Funebre foluit Mercurino debitum.
Verum etiam fuper Aonides venere puellae,
Nec defuere conthorales Gratiae:
Quae procul e tumulo fpectantes triftia magni,
Sed gloriofa Mercurini funera.
Conftiterant moeftae gemitufque dedere Camenae,
Collacrimantes adftiterunt Gratiae:
Quum fic prae reliquis de ter tribus vna loquuta eft,
Fuiffe credas Vranien amabilem:
Heu dolor! hoc etiam Parcis licuiffe fuperbis,
Quis aequiore pectoris fenfu ferat?
Ecce, iacet noftri quondam defenfor honoris:
Nos ille femper excolebat vnice.
Quanto noftra falus orbata eft praefide? Quanto
Orbata patre, vera virtus exfulat?
Quale, Augufte, tuo deceffit lumen honori,
Letale vulnus hoc ne fentis, Carole?
Nemo tuae melior, te Principe, praefuit aulae;
Meliufque rebus nemo confuluit tuis.
Pacis et armorum fuit arbiter aequus, et idem
Auctoritate fummus, inuictus manu.
Magnarum contemtor opum, pietatis imago,
Rariffima altae fama temperantiae.

Inui-

Inuidere tuis talem fata impia rebus,
  Augufte Caefar o beate, praefidem.
Ne tibi, quo poffes veterum virtute priorem
  Te gloriari, dira fors relinqueret.
Nam fuit ille tibi, quod Maecenas fuit olim
  Tuo bonus ter maximo cognomini.
Quod fuit Aeacidae Phoenix, quod Neftor Atridae,
  Quod Mentor inclito fenex Vlyffeo.
Quod fuit Aeneae magno generofus Achates,
  Quod gloriofo Epheftion Philippidae.
Nunc tamen ille breuem tantus tenuatur in vrnam,
  Et vix inane nomen exftat illius.
Vos mihi nunc moeftae date lilia pulcra forores,
  Cumulemus vt fepulcra floribus nouis.
His faltem illuftrem decoremus honoribus vmbram;
  Fungamur hoc, quamuis inani, munere.
Talibus Vranie dictis adfata forores,
  Confufa triftes eiulatus edidit.
Nec Charites tacuere, fed e tribus vna loquuta eft:
  Thalian hanc fuiffe floridam ferunt.
Nos larga dedimus caeleftia munera dextra
  Tibi, Mercurine, queis placebas omnibus.
Luminibus blandam tibi nos adflauimus auram:
  Nos vultui tuo perennem gratiam;
Nos decus indidimus maieftatemque verendam,

Tuoque robur haud iniquum corpori.
Nostrum munus erat, quae te facundia Diuis
Aequauit ipsis, praetulit mortalibus.
Quid tamen haec prodest tibi nos tribuisse Deorum
Benignitate copiosa munera?
Inuida postquam isthaec mors abstulit omnia, quando
Fuerant tibi datura fructum maximum.
Iam patrium linquens Hispani flumen Iberi,
Germaniam petis sequutus Caesarem:
Quum subito exstinctum populi videre, colentes
Montana regna ad Oenipontum nobile.
Scilicet inuidit fatum, ne magna videres
Rheni superbi Danubîque flumina.
Sed nihil immiti prosunt in morte querelae:
Nullis superba precibus vmquam flectitur.
Nos tibi nunc tumulum facimus, tumulumque coronis
Ornamus hisce perpetuo virentibus:
Vt, dum vere nouo repetitus floreat orbis,
Tua gloriosa laude fama floreat.

EIVS-

EIVSDEM AD EVMDEM

Haec, quam in *Heſſi* Opp. Farragine fruſtra quaeſiueris, Epiſtola primum adiecta eſt laudatis Illuſtrium Virorum Epitaphiis et Epigrammatis, a meque inde deſcripta.

Quam Dantiſce legis, tibi Noride venit ab vrbe
Littera, tam longae feſſa labore viae.
Nam, niſi me fallit ratio dimenſa locorum,
Paene decem decies millibus egit iter.
Muſa quidem grauibus iam dudum adſueta periclis,
Hoc quoque non dubia mente ſubiuit onus.
Noctibus hibernis et ſolibus vſta diurnis,
Eſt tamen ex ipſo nota colore tibi.
Haec patrii tecum peragrauit regna Boruſſi,
In mare qua grauibus Viſtula fertur aquis.
Haec tecum fortes viſa eſt coluiſſe Polonos,
Pulcra vbi Sarmaticas Croca gubernat opes.
Regales celebrans thalamos, pompamque iugalem
Auſa eſt Semideis, te quoque teſte, loqui.
Hanc igitur tibi, ceu reducem tot euntibus annis,
Auribus obſtreperam fer, precor, eſſe tuis.
Quum tua Caeſaribus virtus ſit nota duobus
Reddita, ſeu belli tempore, ſiue togae.
Quum Regi placeas, quo nec praeſtantior armis,
Nec regnis alius latior eſſe poteſt.

Si meritis fortuna tuis reſpondeat, illi
Nil debes, certe debuit illa tibi.
Quamquam non adeo donis te ingentibus auxit,
Vt meritis non ſint illa minora tuis.
Sed neque ſorte tuas dotes metimur ab illa:
Eſt aliquid, quod te laudis ad aſtra vehat.
Diuitis ingenii floret tibi gratia, qualem
Vix dederit paucis de tribus vna ſoror:
Copia multiplicis ratioque facillima linguae,
Conſilium, pietas, Principe digna fides:
Munera amabilium plus quam ciuilia morum,
Suauiloquo veniens comis ab ore lepor.
Haec, Dantiſce, tuas ornant inſignia laudes
Plus, quam quae populi te venerantis habes.
Rex tibi Culmanas aquilas dedit inclitus; idem
Ornauit patriae te ditione tuae.
Tam bonus vt fieres, tam carus vt omnibus eſſes,
Hoc dare non potuit Regia dextra tibi.
Hoc tibi tu dederas vſque huc ab inertibus annis:
Hoc tibi culta diu Muſica vita dedit.
Natus, et Aonidum puer enutritus in vlnis,
Nunc vir ad Aonidas Regia ſceptra trahis.
Nec tamen inde tuam ventoſa ſuperbia mentem
Inflat, et immodico pectus honore leuat.
Aequum fortuna ſeruas in vtraque tenorem;

Hic

Hic ſumma dignum te modus eſſe docet.
Non tamen his blandita tibi te laudibus ornat,
Quae nunc parte bona Muſa futura tua eſt.
Quod quia ſic fieri poterat tibi forte videri,
Scribere de multis pauca coacta fuit.
Nam ſi cuncta tuae percurrat nomina famae,
Forte aliqua poteras ſuſpicione trahi.
Vel quia tranſmiſſo pro munere verba remittam;
Vel quia non norit te mea Muſa ſatis.
Sicut enim nec eges, nec es huius laudis auarus:
Sic animi cautum me decet eſſe tui.
Vera quidem virtus, niſi te, non teſtibus vllis
Indiget, et laudes non amat immodicas.
Viue, decus gentiſque tuae, Regiſque Poloni:
Viue, animo tali non habiture parem.
Te mea, Sarmaticam ſeu forte redibis ad Arcton,
Siue manes, merito carmine Muſa canet.
Viue, nec obliture tui, Dantiſce, poetae,
Quem tu ſicut amas, ſic tueare, precor.
Sic tibi contingat patrias feliciter vrbes,
Notaque Sarmatidum regna videre breui!

EIVSDEM AD EVMDEM

De hoc carmine haud ambigam intelligendum esse id, quod *Ioannes Campensis* ad *Dantiscum*, Ratisbonae tum commorantem, scripsit ex Noriberga, d. 4. Maii, An. 1532. "Eobanus mittit ad te carmen, quod mi-„hi legit nondum: sed certissimis et poeticis argu-„mentis colligo, futurum, vt optimum tibi videa-„tur. Adsidebam enim, quum illud primum medi-„taretur, et scribere inciperet; vidique manifesta „Apollinis fauentis signa. Coepit enim homo plu-„teum caedere, caput scalpere, vngues mordere, „obiurgare vxorem suam inprimis, deinde ordine li-„beros omnes, et nisi ego Numinis praesentiam sen-„tiens, in tempore furori cedens subduxissem me, „credo, ne ab eo quidem, qui tua caussa illi caris-„simus est, abstinuisset. Meus ergo Eobanus tum „non insaniebat, aut versus faciebat; sed vtrum-„que." Ea epistola, et carmen *Hessi* ipsum, inserta sunt Illustrium Virorum ad *Ioannem Dantiscum*, Episc. Varm. Epistolis Selectis: quas audio esse ab *Erico Benzelio* editas Vpsaliae, An. 1717. quaternis. Mihi quidem earum exemplum, idque duplex, non nisi manu exaratum videre contigit. Sed certe carmen hoc dudum ante editum est Siluarum Lib. IX. inter Opera, p. 604. sq.

Quam mihi misisti plenam, Dantisce, fauoris,
Reddita Campensi littera teste fuit.
Tempus erat, Tartesiacas iam Phoebus ad vndas
Stabat, anhelanti praecipitandus equo.

Parca

Parca ſedebamus non magnae ad fercula coenae,
  Quum tua ſint manibus tradita ſcripta meis.
Protinus adpoſitae contemſimus omnia menſae;
  Legimus et manibus verba notata tuis.
Nec legiſſe ſemel fuerat ſatis; inter edendum
  Lecta quater nobis littera tota fuit.
Inde animis laeti, et tamquam votiua ferentes
  Sumſimus audaci pocula plena manu.
Proque tua ſacrum Baccho, Dantiſce, ſalute
  Fecimus, et Charitum Pieridumque choro.
Scilicet incolumem non te laetemur amici
  Veniſſe ad rapidi littora Danubii?
Et quia te ſcribis Regis pietate Poloni
  Viſurum patriae regna beata tuae;
Hanc quoque gratamur ſortem tibi: ſed tamen illic
  Nonnihil aduerſi, quod quereremur, erat.
Sicut enim gratum eſt patrios te inuiſere fines:
  A nobis ſic te tam procul ire dolet.
Ibis ad aequoreos ſine me, Dantiſce, Boruſſos;
  Heu oculis iterum quando vidende meis?
Ibis ad Arctoas Germani littoris oras,
  Qua tibi ſunt patriae ſubdita regna tuae.
Illic vt fueris propria iam ſede receptus,
  Dic, age, qui poteris non meminiſſe mei?
An poteris cari fieri, precor, immemor Heſſi,

Qui

Qui te tam vere, nec ſimulanter amat?
Non puto: nam nec te duri genuere parentes,
Nec ſtupidum tardo frigore pectus habes.
Quin potius, quum ſis mira pietate fideque
Praeditus, et ſummo dignus honore coli:
Quum tua fortunae virtus reſpondeat iſti,
Quae tibi diuitias ingeniumque dedit:
Quum tibi ſubiecto populo potieris, et arces
Altaque tranquilla moenia pace reges:
Saepe meo, dices, quaenam fortuna poetae
Lubrica deducat tempora, ſcire velim.
Saepe meum dices ſeu nunc pia fata poetam,
Numina ſeu videant impia, ſcire velim.
Atque ea quum volues animo, graphiaria poſces,
Et ſcribes animi nuncia verba tui.
Namque nec Aethiopas vltra tranſibis et Indos,
Et nec Hyperboreo regna peruſta gelu.
Communis mecum ſub eodem ſidere caeli,
Millia ſed tantum pauca remotus eris.
Vnde aliquam poſſis tranſmittere ſaepe ſalutem;
Vnde queas Heſſo ſcribere ſaepe tuo.
Quo queat et mitti noſtrae tibi littera dextrae,
Littera non aliqua laſſa futura via.
Nam quae nunc reliquos aderit mihi Muſa per annos,
Quanta futura mihi eſt, tanta futura tibi eſt.

Hoc

Hoc tibi, Maeonio dici dignissime versu,
Voce Sybillina certius esse puta.
Accipe nunc tibi deuotum, Dantisce, poetam;
Exhibitas vates accipe vatis opes.
Quas quia non alias habeo, quas mittere possum,
Munera non animo despiciente feres.
Hoc tuus ille animi candor promittit, et ille,
Qui mihi de tali pectore spirat, amor.
Viue diu victure meis, Dantisce, Camenis!
Viue! breui versus subsequar ipse meos.

EIVSDEM AD EVMDEM

Haec, et quae sequitur, Epistolae descriptae sunt ex *Eobani Hessi* Siluarum Lib. VIII. inter Opera, p. 596 sq. Conf. *Periandri* Germania, p. 439.

Venimus emensi tot millia, quot Iouis vxor
Hippotadae Nymphas dixerat esse sibi:
Quot geminata forent septemplicis ostia Nili;
Quot Niobae natos interiisse ferunt;
Quot patrio vidit de flumine surgere tauros,
Per quem pressa fame terra redemta fuit:
Quot Musae Charitesque, et iunctus Apollo Dianae;
Quot geminata forent sidera Pleïadum;

Denique ſyllabicos quot habent tua nomina tractus:
Tu modo de multis quattuor eſſe voles.
Muſarum decus eximium, Dantiſce, nec vlli
Pontificis veri nomine poſterior.
Venimus, emenſi tot millia; venimus autem
Corpora non vna conditione duo.
Venimus, vt plures maneat Campenſis in annos;
Venimus vt paucos hic morer ipſe dies.
Namque vt conditio Campenſi eſt libera: ſic me
Carcere perpetuo vita ligata tenet.
Vtque illi licitum eſt, quoquo libet ire, vagari;
Sic mihi nequaquam quolibet ire licet.
Nam mihi ſi liceat, quo nunc libet, ire, quid vſquam eſt,
Quo tua non libeat dulcia iuſſa ſequi?
Vltra Sauromatas, vltra Tanaeïa regna
Te ſequar, et Scythico rura peruſta gelu.
Te per Hyperboreo torpentes frigore campos,
Te ſequar Arctoi ſub duo monſtra poli.
Non me triſtis hiems, non me remorabitur aeſtus,
Quamlibet immodico Sirius igne micet.
Heu mala fatorum ſeries! heu triſtia vitae
Sidera, et hic votis inuida nata meis!
Si tamen his vlla poſſim ratione mederi,
Non dubitem, quo me ſors vocet vlla, ſequi.

Cultos

Cultos ante mihi repetam, tua regna, Borussos,
Et loca, quae propior Parrhasis Vrsa videt.
Nunc quia non licitum est, quod quondam forte licebit,
Fortunae medicus spes bona noster erit.
Et tibi sancta fides pro me spondebit, et ille,
Quem socium certe pectoris huius habes.
Quem quia conueniens ratio mihi fecit amicum,
Isthoc inuideo nomine paene tibi.
Sarmaticas igitur sine me venietis ad oras;
Quo mihi non vtinam fata venire negent!
Non tamen idcirco sine me viuetis, amici:
Vobiscumque aliqua parte ego semper ero.
Nunc ago, Pontificum decus Aonidumque sororum,
Nunc age, me domui, quaeso, remitte meae.
Interea nostri non obliuiscere amoris,
Quo mihi non falso iunctus es, ipse tibi.
Vtque tibi hoc gratum me nomine sentiat orbis,
Ipse satis de me pignora grata dabo.

EIVSDEM AD EVMDEM

Dicebas, Dantiſce, ſuo quum Cynthia cornu
Plena refulgebit, tempus abire tibi eſt.
Plena refulſerunt fugientis cornua Lunae,
Nec tamen eſt abitus cauſſa peracta mei.
Cur ita? perpetuo quia tecum viuere vellem,
Quo ſine perpetua eſt viuere poena mihi.
Nunc quia me reuocant curae, quibus obligor, et ſunt
Tempora fortunae non ſatis apta meae:
Te precor, o noſtrae decus immortale Camenae,
Hic abitus tandem ſit tibi cura mei.
Non me cura domus, non coniugis vlla fatigat;
Sed mihi commiſſae publica cauſſa ſcholae.
Adde, quod huc veni minima quoque parte paratus,
Vt qui crediderim poſſe redire breui.
Nunc tua me pietas, nunc me tua libera virtus,
Nunc tua me vere gratia vera tenet.
Ergo boni facias animum maiora volentem:
Et vix officium hoc temporis huius erat.
Viue igitur, Dantiſce, tui non immemor Heſſi,
Cuius in hoc fidei carmine pignus habes.

IOAN-

CARMINA
IOANNIS SECVNDI
AD
IOANNEM DANTISCVM
EPISCOPVM ET POETAM
ELEGIA

Primum praemiſſa eſt Illuſtrium Virorum Epitaphiis, in funere Mercurini a Gattinaria: deinde inſerta *Ioannis Secundi* Eleg. Libro III. inter Opera, Lugduni Bat. edita, (An. 1619.) p. 56.

Regis honos venerande pii, cui dulce ſonantum
Barbitos argutis tinnit in auriculis,
Cuius temporibus et laurus et infula certant,
Haec premat vt ſacras, et premat illa comas.
Sit tibi vita diu, nec te, Dantiſce, malignis
Inuoluat tenebris illa nec illa dies.
Inuiolata tuos extendat fama labores,
Atque alia atque alia in ſecula ſerpat anus:
Fragmina qui pius et cineres legis extinctorum,
Corpora de tumulis et rediuiua vocas.
Per te Mercurium Scaldis poſt fata canentem
Audiet, adtonitas et reuocabit aquas.
Per te Mercurium noſcet, notumque loquetur,
Quaeque riget cano pallida turba gelu;

Quaeque trahit nigrum vicino ſole colorem;
Quaeque poli tepida ſub regione iacet.
Viue diu, Praeſul venerande, et viue ſüaue:
Inque leuem flatum quum tenuatus eris,
Ipſe tibi Phoenix iteratae tempora vitae
Produc, magnanima mente, canore pio.

EIVSDEM
AD
IOANNEM DANTISCVM
PRAES. CVLMENS. EVMDEMQVE POETAM EPISTOLA

Ex *Ioannis Secundi* Epiſt. Lib. I. p. 169. Exſtat etiam apud *Periandrum* loc. comm. p. 444.

Laus vatum, laus magna virûm, quos infula veſtit,
Ore melos Getico qui Latiale ſonas.
In quem curarum bona pars ſecura recumbit
Regis, Sarmatidum cui famulatur humus.
Hoſpite quo Scaldis ſeſe miratur, et Iſtri
Gurgitibus tumidis iam putat ire parem;
Hocne meas artes etiam, Dantiſce, manebat,
Vt traducendae te quoque teſte forent?

Heu

Heu mihi! quid ſperas a caelatore poeta,
Et cui vix primo tempora vere tepent?
Iſtam aciem paſcat, ſi quid reſtabit ab aeuo,
Phidiacae quondam quo viguere manus:
Quum Venus ipſa ſuae decus admirata figurae,
Dixit, Praxiteli viſa vbi nuda fui?
Quum poterant duri lapides molleſcere ferro,
Vnaque certantes picta vocabat aues.
Suſpenſoſque animos ſperata voce tenebat
Daedalus, in tabula verſicolore, liquor.
Auſus ego tentare nouas temerarius artes,
Vix infauſta rego caela negante manu.
Felix, plebeios ſi tantum ſculpere vultus
Dextera, et vlterius non foret auſa vehi:
Obſcuris cum nominibus neglecta iaceret,
Non hominum variis ſubdita iudiciis.
Cum domini pallore ſui male nobilis eſſet:
Sed quid ego haec autem? ſera querela mea eſt.
E manibus noſtris dudum vaga currit imago,
Quae pia Caeſarei numinis ora tenet.
Nec ſatis eſt illud; cupit hanc Dantiſcus habere,
Ille, cui quidquam ſit renuiſſe nefas.
Accipe, magne pater, tua iuſſa capeſſere fas eſt:
Tecum age, ſi laedet lumina forma rudis.

Mittimus in multas transfusum Caesara formas;
Sic te velle, mihi dixerat ille tuus
Ledaeus vates, iuuenis dignissimus, in quem
Pars tibi diffusi multa fauoris eat:
Qui sic ore modos et acuta temperat aure,
Vt cygnum melius non potuisse rear:
Illum, Ledaeis olim qui fusus in vlnis,
Velauit niueo corpore furta Iouis.
Mittimus et quaedam, quae te fortasse iuuabunt,
Inter quae dominae sit quoque forma meae:
Dilectae dominae, Venerem cui cedere Mauors
Noluit, hinc caeli non bene rexit iter.
Hic quoque flammiuolis oculis formosa latebit,
Vatis amatoris Iulia sculpta manu;
Iulia, quae nostris viuat celebrata Camenis,
Donec amor gemitus nesciet, et lacrimas.

GEOR-

GEORGII SABINI
AD
IOANNEM DANTISCVM
EPISCOPVM VARMIENSEM
HENDECASYLLABI

Descripti sunt ex *Sabini* Poematibus, p. 307. *Dantisci* responsum inde depromsimus supra, p. 149.

Cultor Pieriae Sabinus artis,
Antistes venerande, te salutat
Hinc, qua iunipero virente cinctus,
Curuo Bregela labitur fluento.
Vluosam residens ad huius vndam
Musarum quid agat chorus, requiris?
Flagranti studio vacat canendi
Noctes atque dies, vt his in oris
Doctae Palladis excitentur artes,
Orpheumque docet mouere plectrum
Arctoi maris accolas Borussos.

Quin et saepe tuas ad astra laudes
Pleno Musicus ore coetus effert:
Te sermonis et vtriusque linguae
Expertum canit, inclitumque vatem.

Haec vt nota tibi forent, et omnes
Rescirent gelido sub axe gentes:
A nostro tibi Melchiore nuper,
Hac in vrbe, dicatus est libellus,
Quem, ceu primitias noui Lycei
Oro suscipias: deinde plura
Nostrae Pierides tibi dicabunt,
Quae, curis nisi tot grauatus esses,
Missis hinc quoque saepius tabellis
Scribendi studium tibi probarent.

Quod restat, tibi se tuus Sabinus
Commendat, cupidis petitque votis,
Vt feliciter exigas tot annos,
Quot ver purpureos vbique flores
Nunc in mollibus educat viretis.

EIVSDEM AD EVMDEM

Ex *Sabini* Poematibus, p. 310. Refponfum *Dantifci* a nobis repetitum eft fupra, p. 152.

Vos, quae Parrhafio fub axe Mufae
Hic pro Caftalii liquore fontis
Pifcofi vada Bregelae tenetis,
Comtos cingite frondibus capillos,
Ne fol, aethereo propinqua Cancro
Qui iam figna tenet flagrante curru,
Vobis ora graui perurat aeftu.
Nam Phoebi rapido fub igne vobis
Eft longo procul vrbs petenda curfu,
Quae ripas iacet ad fluentis Allae,
Allae, cuius agunt choros ad amnem
Ludentes per amoena rura Nymphae,
Cum pictis et Oreades Napaeis.

Vrbem, colle fub herbido iacentem,
Feffae quando fubibitis Camenae,
Illic limina Praefulifque celfam
Mox confcendite Varmienfis arcem:
Quo nemo melius poteft diferta

Lingua

Lingua fceptrigeros mouere Reges;
Quo nec Pierios ad Arcton alter
Cantat voce fonantiore verfus.

Vos Antiftes in atrium receptas
Quum deducet, et adloquetur; illi
Blandis talia nunciate verbis:
Dum formofus adeft, et arua pingit
Maius purpureo colore florum,
Dum filuaeque comis virent, et aer
Laetis alituum fonat querelis:
Ad te conftituit Sabinus vna
Cum conforte fui venire lecti,
Vt curis animum femel relaxet,
Confpectuque tuo fruatur hofpes.
Quare feftus vbi dies agetur,
Quo mentes hominum regens piorum
Caeli Spiritus eft ab arce miffus,
Si quos expetis hofpites, habebis.
Curru forte vias agens eodem
Ifinderus erit comes Sabini,
Praeftans Socraticae magifter artis;
Quem natalibus educauit oris
Horrens pinifero iugo Silefus.

Haec

Haec quum verba meo relata iussu,
Ad vestrum celeres redite vatem.
Tum si conueniens mihique gratum
Responsum referetis, o Camenae,
Ingressurus iter parabo currum.

Quod si Volsca mihi Camilla vati
Esset foedere nupta coniugali,
Quae non femineae colo, sed apta
Frenis cornipedum fuit regendis:
Vectus cum socia tori venirem
Nostri tergore Pegasi volantis,
Toruae victor äereus Medusae:
Nunc ceu Gordius ille rusticanus,
Qui plaustro Phrygias obibat vrbes,
Illuc axe viam rotaque carpam.

EIVSDEM AD EVMDEM

Ex *Sabini* Poematibus p. 316. ſq.

Quum me propter Hyantias puellas,
Sacratum quibus hic recludo fontem,
Magno, Praeſul, amore proſequaris:
Me vir ſollicito dolore preſſus
Orauit, lacrimis per ora fuſis,
Vt blandis mea te Camena verbis
Placaret ſibi, leniens et acrem
Dulci carmine mitigaret iram.
Nam quum forte reus citatus eſſet,
Cauſſa, neſcio qua, tuum tribunal
Declinauit: ob id ſubire poenam
Eſt iuſſus, quaſi contumax fuiſſet.

At quamuis mea Muſa non libenter
Moeſtorum querimonias reorum
Tractet, cauſſidici peroſa munus:
Ipſius lacrimae tamen precantis
Huc me commiſeratione ducunt,
Vt nulla ratione carmen illi,
A me quod petit, atque profuturum
Confidit ſibi, denegare poſſim:
Praeſertim tua quum mihi benigna
Mens ſit cognita plurimis ab annis.

Si quid carminibus moueris ergo,
Amphion quibus et canorus Orpheus
Mouerunt lapides, ferasque tigres:
Te dilecta tuae per ossa matris,
Et cari cineres parentis, oro:
Te per laurigeras nouem Sorores,
Per si quid tibi dulce, vel süaue est,
His obtestor et obsecro Camenis:
Concedas veniam reo petenti,
Laxataque graui seueritate
Hanc illi modo noxiam remittas.'

Te flectat pietas, et illa virtus,
Quae magnos precibus viros moueri
Exemplo iubet ipsius Tonantis:
Te demum miseranda flectat vxor,
Quae de paupere deprecans marito
Hinc suspiria dat, tibique supplex
Tendit brachia paruulosque natos:
His placabilis aequiorque fias.

Sic longaeuus agas, nec vlla prorsus
Durae incommoda sentias senectae:
Sic vitam tua fata quum reposcent,
Humani generis tibi redemtor
Praestet, molliter vt cubes, quietem.

EIVSDEM AD EVMDEM

Ex *Sabini* Poematibus p. 329. ſq.

Vt fato miſerabili peremtam
Lugens Eurydicen gemebat Orpheus:
Sic Annam ſociam mei cubilis
Deplorans gemo, quam ſalutis autor
Ad vitae Deus exitum vocauit.
Nam ſaeuum mihi vulnus ac dolorem
Eius fecit acerba mors, et huius
Vitae delicias ademit omnes.

Me non adficiunt, vt ante, dulces
Muſarum citharae: nihil virentes
Parnaſſi moror amplius receſſus.
Sed nuda velut aridaque in vlmo
Conſidit viduus gemitque turtur:
Vitam ſic modo duco luctuoſam
Singultu, gemitu, dolore, fletu.

O! ſi pharmacon ipſe nunc haberem
Illud, quod Polydamna Thonis vxor
Dono Tyndaridi dedit Lacaenae:
Quod quum Telemachus bibiſſet, omnem
Abſterſo poſuit dolore luctum:
Nil illo mihi gratius daretur,
Obliuiſcerer vt mei doloris.

At

At orbatus amore coniugali,
Quantum triftitiae et doloris haufi,
Tantum praebuit his diebus, a te
Bembi mors mihi nunciata, luctum.
Illum numinis inftar, atque tanquam
Linguae praecipuum decus Latinae,
Sum miratus: et ille me viciffim
Complexus iuuenem fenex amauit,
Immortalibus extulitque fcriptis.
Quare non minus, ac meam maritam,
Exftinctum doleo gemoque Bembum:
Cuius tres Charites, nouemque Mufae,
Lugent interitum, fimulque plangunt
Moeftis Adria, Tybris, Arnus, vndis.

Sed qui fanguine nos fuo redemit,
Ambobus tribuat, precor, fepultis
Chriftus perpetuam beatitatem;
Longaeuam tibi prorogetque vitam.

EIVSDEM AD EVMDEM

Ex *Sabini* Poematibus, p. 331. Reſponſum *Dantiſci*, ibidem adſcriptum, ſupra repetii, p. 155.

Paruum ſuſcipe, Praeſul, hunc libellum,
Quo te donat amans tui Sabinus.
Auro ſplendidus et niteret oſtro,
Me blandis niſi mollibuſque verbis
Feſtinanter et ocyus rogaſſet,
Vt, Dantiſce, tuus libellus eſſet.

ANONYMI
IN
IOANNEM DANTISCVM
EPIGRAMMA

Exſtat apud *Treterum*, loc. comm. p. 110. qui ab Senatore quodam Reip. Polonae confectum ſcribit.

Eloquio nitidus Praeſul, claruſque poeſi:
Tres illum Reges titulis auxere Poloni.
Munere Legati Icarias perſunctus ad oras,
Ingentes plauſus famae et referebat honores.

ALIVD

IO. PETRI LOTICHII

Deſcriptum ex *Lotichii* Bibliotheca Poetica, P. IV. pag. 48.

Carminis eloquium Dantiſcus Epiſcopus auxit,
Teſtatus ſummos carmen amare viros.
Parce genus Diuûm, vates, inceſſere, Liuor!
Carmina nam Reges Pontificeſque colunt.

STA-

CARMINA
STANISLAI GLANDINI
DE
IOANNIS DANTISCI
CARMINE PARAEN. HEXASTICHON
AD IVVENES

Illud pariter et eiusdem Tetrastichon, atque item Epigramma ad *Dantisci* Musam, praemissa sunt Carminis istius editioni ab *Hosio* curatae, (Cracou. 1539. 4.)

Hunc tantum vatem, ingenua et generosa iuuentus,
Accipe, volue manu, menteque volue diu.
Non hunc vulgaris priuataque laurea cingit;
Cingit at hunc sacri laurea Pontificis.
Non canit hic Martis rabiem, Venerisque maniam:
At canit hic Christi verba salutifera.

EIVSDEM TETRASTICHON

Praesulis haec varia et numerosa pericula cautos
Vos faciant: certa est cautio fida salus.
Discite prudentes vanis praeponere firma:
Discite, solum homines quidue beare queat.

EIVSDEM EPIGRAMMA
AD
DANTISCI MVSAM
QVAM IPSE VETVLAM FINGIT

Siccine Parnassum vetulae tibi scandere durum est?
Qui fit, quod carmen tam bene molle canis?
Nae, quamuis vegetam, superas tu viuida Musam;
Sat, qualis nam sis, carmina culta docent.

GVIL. GNAPHAEI

DE

DANTISCI CARM. PARAENETICO

VERSICVLI

Ex eiuſdem Paraſceue, ad triumphum Eloquentiae, deſcripti ſunt in Miſſu Pruſſico VI. p. 713. Sed quiſquis fuit ille, qui deſcripſit, profecto aut animi ipſe falſus fuit, aut in errorem ab *Andr. Charitio*, l. c. p. 37. abductus, quum eos de *Dantiſci* Hendecaſyllabis ſiue Phaleucis, ad *Georg. Sabinum* perſcriptis, tamquam peculiari opere, vel alio quo adhucdum inedito, eſt interpretatus. Nam iſtos verſiculos *Gnaphaeus*, rerum harum non indoctus aeſtimator, quomodo aut opus dixerit egregium, aut cygneum melos? Nec *Dantiſcus* Muſam, in iis, ſuam annoſam finxit. Adhaec temporis quoque ratio non congruit. Quippe Hendecaſyllabi ſcripti ſunt An. 1546. *Gnaphaei* Paraſceue aliquot annis ante edita. Sed conuenit, praeter cetera, temporis ratio Paraenetico Carmini, quod *Hoſius* edendum curauerat An. 1539. Atque in illo Thaliam ſuam *Dantiſcus* vetulam dixit. Vid. ſupra p. 89.

Proximus accedet plauſor cultorque Ioannes
Dantiſcus Praeſul, plurima doctus homo.
Cui quantum ſapiat pectus, qua Phocidos vnda
Sit ſolitus vates labra rigare bonus;
Arguit egregium, quod non ita nuper amico
Scripſit, opus Muſae dexteritate ſuae.
Quam licet annoſam fingat: tamen illius omnes
Cygneum dicunt voce ſonare melos.

HIL. BARDELEPHI LEDAEI

EPIGRAMMA

Adiectum eſt *Dantiſci* libello, de victoria Sigiſmundi I. Poloniae Regis, contra Vayeuodam Muldauiae, primum edito Pariſiis, An. 1531. quaternis; deinde inſerto *Schardii* Script. Rer. Germ. T. II. p. 1275.

Clara Sigiſmundi cui non victoria Regis
Audita eſt? cui non ſpeſque animoſque facit?
Et cunctamur adhuc? Neque nos vel Suada monentis
Dantiſci toties, vel pia Muſa mouet?
Si ter de fidei ſic hoſtibus ille triumphat,
Et bis dena Dei millia ſternit ope:
Quid faceret, ſi tota ſuos Reſpublica Chriſti
In Turcam Reges mitteret vnanimes?



LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA

